This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

751s
W419

UC-NRLF
$B 290 284

YB 40815

SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

751a
W419

# SPECIMEN LITERARIUM,

CONTINENS

## DIATRIBEN IN LYSIAE ORATIONEM IN NICOMACHUM.

UNIV. OF CALIFORNIA

# SPECIMEN LITERARIUM,

CONTINENS

DIATRIBEN IN LYSIAE ORATIONEM IN NICOMACHUM,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**CORNELII PRUYS VAN DER HOEVEN,**

MED. DOCT. ET PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

**PRO GRADU DOCTORATUS**

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

*in Academia Lugduno-Batava*

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

***Fredericus Vermooten Weijers,***

HOLLANDUS EX PAGO SPAARNDAM,

DIE XXVIII Novembris MDCCCXXXIX, HORA I—II.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. & J. LUCHTMANS,
Academiae Typographos.

MDCCCXXXIX.

UNIV. OF
CALIFORNIA

FRATRI CARISSIMO

**HENRICO ENGELINO WEIJERS,**

Philos. Theor. Mag. Litt. Hum. et Theol. Doct. Litt. Orient. Prof. Ordin. et Legati Warneriani Interpreti,

ET

RELIQUIS PRAECEPTORIBUS, VIRIS CLARISSIMIS,

**Sacrum.**

457145

*ΛΥΣΙΑΣ ὁ Κεφάλου — τῶν μὲν ἔμπροσθεν γεγενημένων ῥητόρων ἢ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἀκμασάντων ἠφάνισε τὰς δόξας, τῶν δὲ ἐπιγενομένων οὐ πολλοῖς τισὶ κατέλιπεν ὑπερβολήν, ἅτ' ἐν ἁπάσαις ταῖς ἰδέαις τῶν λόγων, καὶ μὰ Δί' οὗτοιγε ταῖς φαυλοτάταις, εὐδοκιμῶν.*

DIONYS. HALIC. in *Lysiae Vita*, p. lxii et lxiii *Tayl.*

# INDEX.

Introitus. . . . . pag. 1.

§. 1. Inscriptio. Argumentum Orationis. . . — 3.

§. 2. Historia Actionis. Tempus, quo habita sit Oratio. . . . . — 11.

§. 3. Capita Accusationis. Actionis species. . — 29.

§. 4. De Logistis et Euthynis. . . . . — 36.

§. 5. De Scribarum munere et conditione apud Athenienses. . . . . — 43.

§. 6. De Solonis legum conservatione. . . . — 47.

Annotatio in Orationem. . . . . — 60.

UNIV. OF CALIFORNIA

# INTROITUS.

Nulla Athenarum aetas omni ingeniorum ac doctrinarum laude tam excelluit, nulla virorum celeberrimorum nominibus tam abundavit, quam ea quae bellum Peloponnesiacum paullulum antecessit aetas, et ea per quam illud bellum gestum est. Omittamus Tragicos AESCHYLUM, SOPHOCLEM et *scenicum* illum *Philosophum*, EURIPIDEM, qui novum tragoediae protulit genus, quod doctrinae praestantia, sententiarumque gravitate est plenum, quodque cum suavitate delectat, tum rationibus ad virtutis studium convertit (1): Comicum ARISTOPHANEM; Historiarum scriptores HERODOTUM et THUCYDIDEM, quorum alter sine ullis salebris, quasi sedatus amnis fluit, alter incitatior fertur et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum (2); XENOPHONTEM, clarum illum SOCRATIS discipulum: Philosophos etiam, qui hac floruerunt aetate, SOCRATEM, PLATONEM, eorumque discipulos praetermittamus: sed prater hos peculiare doctrinae studium Athenis hoc tempore et ortum est et ad summum perfectionis gradum pervenit, eloquentiam dico: » hoc enim studium" teste CICERONE, »non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum: quis enim aut Argivum oratorem, aut Corinthium aut Thebanum scit fuisse temporibus illis (3)?"

(1) Wyttenb. *Bibl. Crit.* part. IV. p. 10.
(2) Cic. *Orat.* cap. 12 in fine.
(3) Cic. *Brut.* cap. 13.

Athenis eloquentia diu quidem viguit, sed decem illos Oratores fere una tulit aetas (1). Quorum a quo tempore libros pervolvere incoepi, Lysiae tenuitatem dicendique perspicuitatem admiratus sum. Lubenter igitur, cum Academiae relinquendae et speciminis, quo publicos assequerer honores, edendi tempus appropinquaret consilio, quod mihi Cl. Bakius, Promotor Honor., dedit ut ex Lysiae Orationibus unam, in qua explicanda vires experirer, eligerem, obsecutus sum.

Elegi, auctore Viro Cl., orationem in Nicomachum, quod in hac Oratione explicanda amori meo antiquitatis disciplinae, quem iam diu Promotoris Honoratissimi scholas de Antiquitate Attica audiens, susceperam, satisfaciendi opportunitas daretur. Neque parum hoc mihi fuit incitamento, quod nondum dedita opera huius actionis historiam, satis impeditam, interpretes, ut mihi videbatur, explicuissent.

Diiudices L. B. quid in hoc elaborando argumento praestiterim, sed iuvenili conatui quid condonandum sit, reputes.

---

(1) I. Antiphon floruit *κατὰ τὰ Περσικά*.
II. Andocides natus est Ol. 78 anno 1.
III. Lysias natus est Ol. 80 anno 2.
IV. Isocrates natus est Ol. 86 anno 1.
V. Isaeus vixit tempore belli Peloponnesiaci.
VI. Aeschines natus est Ol. 97 circiter.
VII. Lycurgus fere eodem tempore.
VIII. Demosthenes natus est Ol. 99 anno 4.
IX. Hyperides fere eodem tempore.
X. Dinarchus natus est Ol. 104 anno 4.
Cff. Cic. in *Bruto*, cap. 7; *de Orat.* II. c. 22 et 23. Lysiae vita a J. Tayloro conscripta. Ruhnkenii *Hist. Crit. Orat. Graec.*

UNIV. OF CALIFORNIA



## §. 1.

### INSCRIPTIO. ARGUMENTUM ORATIONIS.

Oratio, quam nobis tractandam sumsimus, vulgo inscribitur *κατὰ Νικομάχου Γραμματέως εὐθυνῶν κατηγορία*. Cuius inscriptionis verba *εὐθυνῶν κατηγορία* a Grammaticis addita esse, iam a MEIJERO et SCHOEMANNO observatum est (1). — Inscriptio *κατὰ Νικομάχου* ipsum NICOMACHUM accusari indicat. Discrimen scilicet inter accusationis formulas *κατὰ τινὸς* et *πρὸς τινά* — ut Latini eodem modo *agere in aliquem*, i. e. *κατὰ τινὸς*, et *adversus aliquem*, i. e. *πρὸς τινά* — hoc est: prior formula usurpatur, si ipsa propter *ἀδίκημα* quoddam petitur persona, ut hac Oratione NICOMACHUS, qui diutius, quam decebat, munus, rationibus non redditis, retinuerat, legum SOLONIS, quas describere illi erat mandatum, alias describens, alias delens. Eodem modo, ut ex multis paucas citem, Oratio LYSIAE, in qua quis a THEOMNESTO sibi exprobratum dicit, patrem se occidisse, quapropter illum, ex SOLONIS lege, *ἀνδροφόνον* aliquem appellare vetante, accusat, *κατὰ Θεομνήστου* inscribitur: qua ipse ERATOSTHENEM in iudicio petit LYSIAS, quia suum fratrem POLEMARCHUM, indicta caussa, necari iusserat, Orationis *κατὰ Ἐρατοσθένους* inscriptio est. Sic DEMOSTHENIS Ora-

(1) *De Lite Att.* pag. 214.

UNIV. OF CALIFORNIA



tio, cuius argumentum satis notum, *κατὰ Μειδίου* inscribitur, ut Orationes *κατὰ Τιμοκράτους*, *κατὰ Αριστοκράτους*, et reliquas omittam. Formula *πρὸς τινὰ* contra modo adversarium non reum factum designat, si inter litigantes de iuris controversia, sine personae laesione, agitur. Exemplo sit Dem. Oratio *πρὸς Εὐβουλίδην*: Euxitheus enim, Eubulide auctore peregrinitatis damnatus, cum nomen ipsius e tabulis civium deletum esset, instituit (1) — provocationem a sententia eius *δήμου*, qui erat *Ἁλιμοῦς*, ad universi populi sententiam (2) — *ἔφεσιν πρὸς Εὐβουλίδην* —; non tamen ipsum petiit Eubulidem. Ipsam causam, quare nota illa Leptinea inscripta sit *ὁ πρὸς Λεπτίνην λόγος*, et non *κατὰ Λεπτίνου*, auctor incertus argumenti Graeci his explicat verbis: *ὁ πρὸς Λεπτίνην λόγος· ἐπιγραφὴν ἔχει τοιαύτην, ἐπειδήπερ παρελθόντος τοῦ χρόνου, ἐν ᾧ ὑπεύθυνος ἦν κρίσει καὶ τιμωρίᾳ γράψας τις νόμον, ἐφαίνετο Λεπτίνης ἀκίνδυνος, ὅθεν πρὸς αὐτόν, ἀλλ' οὐ κατ' αὐτοῦ ὁ λόγος.* Egregius etiam locus, quo sentitur discrimen, Isaei est in Oratione *περὶ τοῦ Ἁγνίου κληροῦ*, ubi auctor pag. 288 in fine dicit: *εἰ δὲ μήτε πρὸς ἐμὲ μήτε κατ' ἐμοῦ δίκην εἶναι φησὶ τῷ παιδὶ, τὸν κωλύοντα νόμον εἰπάτω, κἂν ἔχῃ δεῖξαι, λα-*

---

(1) Vid. lex ipsa de disquisitione *πάντων τῶν ἐγγεγραμμένων τοῖς ληξιαρχικοῖς γραμματείοις εἴτε γνήσιοι πολῖται εἰσιν εἴτε μή*, ab auctore argumenti hujus Orationis citata. — De his *διαψηφίσεσι κατὰ δήμους*, ut vocabantur, praeter Sigon. *de Rep. Ath.* II, 2, Petit. *Legg. Att.* p. 134, Schoem. *de Com.* p. 380, Meijer. *de Bon. Damn.* p. 78, conferantur etiam quae annotavit Doct. Moll. *Diss. de Peregr. apud Ath. conditione*, pag. 52 sqq.

(2) Cf. Harpocr. s. v. *ἔφεσις, ἡ ἐξ ἑτέρου δικαστηρίου εἰς ἕτερον μεταγωγὴ, τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ἔκκλητον καλεῖται. Δημοσθένους λόγος ἐστὶν ἐπιγραφόμενος· ἔφεσις πρὸς Εὐβουλίδην.*

βέτω καὶ οὕτω τὸ μέρος τῶν χρημάτων (1), quibus verbis significat, et de iure hereditario et de tutela gesta actionem instituere licere.

Inscriptione explicata, Orationis argumentum exponemus, quo facilius in seq. §. historiam actionis, et tempus quo habita sit, exploremus. Locos huius orationis citantem editione Bekkeriana, cuius paragraphorum ordinem fere omnes, qui post eum de LYSIA scripserunt, secuti sunt, me usum esse, necesse puto admonere: reliquarum autem LYSIAE Orationum, aliorumque Oratorum REISKII editionem paginasque citavimus.

NICOMACHUS quidam, cuius pater δημόσιος erat, quique ipse sero εἰς τοὺς ῥήτορας εἰσήχθη, SOLONIS leges ut describeret electus erat, quod munus eo constitisse videtur, ut SOLONIS leges ex antiquo et obsoleto dicendi modo — cff. Orationes in THEOMNESTUM — in usitatiorem

(1) Quae verba Hefftер, *de Re Jud. Athen.* p. 125 n. 13, optime explicat: » der Sprecher fordert die Gegner auf, ein Gesetz nachzuweisen, das den Kuranden verhindre, πρὸς αὐτὸν oder κατ' αὐτοῦ gerichtlich zu prozediren. Das erstere bezieht sich auf die Erbschafts-Diädikasie. Wir werden andeuten: dass bey Diädikasien oder Prioritätsstreiten die Sache so angesehn wurde, als wäre kein Theil der Kläger oder der Beklagte, sondern als ständen beyde Theile in gleichem Verhältnisse zu einander: darum sagte der Redner: πρὸς ἐμέ. Die Worte κατ' ἐμοῦ beziehn sich dagegen auf die Klage aus einem etwanigen Vergleiche, wo der Sprecher im eigentlichen Sinne des Worts der verantwortliche Beklagte gewesen seyn wurde."

Cff. porro de accusationis formulis κατὰ et πρὸς Tayl. *Praef. in Orat. Dem. adv. Eubulidem*, F. A. Wolfii *Proleg. in Dem. Orat. Leptin. in fine*, Bunsii, *de jure Haeredit. Athen.* §. 89, Meijer et Schoem. *de Lite Att.* p. 167, J. H. Bremii *Lysiae Orat. Sel.* p. 21 in prooemio Orat. πρὸς Σίμωνα, C. D. Beels, *Spec. Crit. in Dem. Orat.* I. et II. in Steph. p. 9 sqq.

et illis temporibus magis convenientem redigeret sermonem (1), ea tamen conditione, ut quatuor mensibus opus perficeret; quod non modo eum neglexisse actor ille, pro quo LYSIAS hanc composuit orationem, exprobrat, quum pro quatuor mensibus sexennium retinuisset, rationibus non redditis, munus — *τὴν ἀρχήν* (2), — quotidie pecunia accepta; sed praeterea maius ei imputatscelus, quod pro SOLONE se ipsum constituisset legislatorem, ita ut quasi dispensator — *ταμίας* — leges civitati descripsisset, adeoque fraudulenter egisset, ut adversarius in iudiciis leges a NICOMACHO acceptas uterque ostenderet. A Magistratibus autem mulctatus et in ius vocatus, nihilominus leges tradere rationesque reddere noluit, priusque civitas summas passa erat calamitates — pugnam apud Aegos Potamos et mala inde consecuta: cf. XENOPH. *Hell.* II. 2, 6 sqq. — quam ille munus deposuit.

In ea §. 4 ad aliam transit accusationem: quaerens enim actor *ὁποίαν καὶ νῦν τὴν ἀρχὴν κατεστήσατο*; respondet: pro triginta diebus in quatuor annos munus traxit, praeterea quam pessime functus est munere, quoniam, licet, quid ipsi esset agendum, definitum et statutum esset, *ἁπάντων κύριον* se fecit, id est, omnia sua peregit auctoritate, neque decretis obediens neque leges reveritus.

Ut iudicibus eum in maius odium adducat, *εἰς τοῦτο ὕβρεως ἦκεις*, inquit, *ὥστε σαυτοῦ νομίζεις εἶναι τὰ τῆς πόλεως, αὐτὸς δημόσιος ὤν*: eodem modo §. 27, *ἀλλὰ τούτῳ γε προσήκει διὰ μὲν αὐτὸν τεθνάναι, διὰ δὲ τοὺς*

---

(1) Cf. Schoem. *de Com. Ath.* p. 267.

(2) De usu vocabuli *ἀρχή*, h. l. de scribae munere usurpati, quod magis erat *ὑπερησία* quam *ἀρχή*, vid. Hudtw. *de Diaet.* p. 32, Aeschin. *in Ctesiph.* p. 375 et 3'0 Tayl., Boeckh. *Oec. Civ. Ath.* Vol. I. p. 257, Schoem. *de Com.* p. 307 sqq. et Heffter. l. l. p. 33.

προγόνους πεπρᾶσθαι: et paullo inferius, καίτοι ἀντὶ μὲν δούλου πολίτης γεγένηται, quod tamen probrum non premendum esse (1), ea quae leguntur §. 2, NICOMACHUM sero apud phratores inscriptum fuisse, indicant: potius patris spectat servilem conditionem: hanc ob rem igitur hoc dixisse actorem verosimile est, ut iudices ἀναμνησθέντας τῶν προγόνων τῶν Νικομάχου οἵτινες ἦσαν (§. 6) puderet, talem virum tam obscuro loco natum tanta erga civitatem scelera impune perpetrare.

Ne autem reus, quo se defenderet nihil habens, ipsum argueret actorem, a §. 7 Orator omnia, quae criminari posset, excipiebat.

Hac in refutatione mentio fit accusationis prioris ἐν τῇ βουλῇ. Dicit scilicet orator: »si dicere conaretur reus, quae in Senatu (dixit), me in quadringentis fuisse, cogitate, secundum eos, qui talia dicunt, plures quam mille quadringentis annumerandos fore." De illa accusatione, quando sit facta, certi aliquid dici nequit; vix autem probari potest Bremii sententia, apud Senatum nempe actorem reum, quod rationes non reddidisse accusasse (2). Hoc opprobrium ita a se repellit actor, ut se ne τῶν τριςχιλίων quidem (3) fuisse dicat.

Porro mirum dicit, NICOMACHUM de aliis factorum memoria ut teneatur — μνησικακεῖν (4) — velle, quem popularem imperii formam mutasse, saltem novis rebus favisse, dubium non est. Ne autem ipse Sycophantae munere

(1) Cf. Boeckh. *Oec. Civ.* Vol. I. p. 199, Meijer. *de Bon. Damn.* p. 62 n. 210, quo ultimo loco simul de iusto, quo φρατριαῖς adscribebantur liberi, tempore expositum est.

(2) *Ἐνθυναι*, in iudicio, minime in Senatu dabantur: cf. Meijer. *de Bon. Damn.* p 129 n. 433.

(3) Vid. infra Annot. ad h. l.

(4) Cf. And. *de Myst.* p. 38, 43 et 44, Isocrat. *Orat. adv. Call.* p. 371 *Steph.* Xen. *Hell.* II. 4, 30.

fungi videretur, modo hoc eo se attingere consilio, ne reus ex priori vita, quod sub Triginta-virorum dominatu exsul fuerat, excusationem expromat, Orator §. 15 fatetur · plurimum enim, addit, istos timendos esse homines, qui, popularis imperii eversi auctores, restituta libertate δημοτικοὺς i. e. Democratiae faventes se esse gloriarentur. In horum numero esse reum, vitam eius publicam eo temporis spatio quo optimates formae imperii mutandae consilium ceperunt, narrando percurrens a §. 10—15 demonstrat actor.

Post cladem nempe apud Aegos Potamos — ἀπολομένων τῶν νεῶν — CLEOPHON senatum obiurgabat, eos Civitatis res negligere, et cum illis, qui imperii formam mutatam vellent, conspirare; quapropter Satyrus, ut illum iudicio traderent vinctum, Senatoribus persuadebat. Illi autem, CLEOPHONTEM interfici cupientes, et ne eum iudices mortis non condemnarent, timentes, NICOMACHO huic persuadent, ut legem proferret fictam, ex qua Senatui συνδικάζειν — una cum iudicibus suffragia ferre — liceret, quam iste eodem, quo iudicium fiebat, die protulit.

Si igitur, pergit Orator § 14, hoc praetexu, se δημοτικὸν fuisse, poenam effugere velit, hoc, judices, recordemini, illum rebus tam angustis, tali tempore, quo imperii forma est mutata, legem protulisse, qua novarum rerum auctorum gratiam sibi conciliaret, et huic Senatui una cum iudicibus suffragii ferendi dedisse an-

---

(1) De quo imprimis vid. Andoc. *de Myst.* p. 73, Xenoph. *Hell.* I. 7, 40, Lys. *in Agor.* p. 451 sqq., Aesch. *de Fals. Leg.* p. 254, de quo ultimo loco disputat Moll. *de Peregr. apud Ath. cond.* p. 69 sq. in ann.; Meijer. *de Bon. Damn.* p. 218 n. 211, et scriptores ibi citati.

De Satyro vid. Xen. *Hell.* II. 3, 22, Ullrich. *de Undecimviris* p. 258, e libro *de Lite Att.* p. 69 in ann. mihi cognitus.

sam, in quo Satyrus et Chremon (1) plurimum valebant, quo STROMBICHIDES et CALLIADES aliique multi honestique perierunt cives.

Accusationem (§. 17) impietatis, quam sibi, quippe qui sacra diminuisset, reum afficturum animadverterat, ita retorquet Orator, ut dicat: non ipsum *λέγοντα, ὡς χρὴ θύειν τὰς θυσίας τὰς ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν ὅπλων* (ut est in Codd.) *κατὰ τὰς συγγραφάς* — de quibus infra agemus — reum accusasse, sed ipsius Civitatis decreta — *ταῦτα γάρ ὑμεῖς ἐψηφίσασθε* — improbare. Non tamen de illis, quae pietatem spectant, NICOMACHUM audiendum esse, sed eius facta consideranda admonet.

NICOMACHUS enim, ut narrat Orator, *τῶν ἱερῶν ἀναγραφεὺς* factus, plus quam quae lege mandata essent adscribens, effecit, ne reditus sufficerent, quibus sacra lege SOLONIS constituta — *τὰ πατρία* — perficerentur; ita ut, inquit, anno praeterito, sacra *τριῶν ταλάντων τῶν ἐν ταῖς κύρβεσι γεγραμμένων ἄθυτα* fuerint, i. e. tria talenta, quibus, ut sacra illa patria perficerentur, opus erat, desiderarentur: et ea non propterea *ἄθυτα* manebant, quod, quae sacris de publico destinabantur, *οὐχ ἱκανὰ ἦν*, sed quia NICOMACHUS haec ita amplificaverat, ut quotannis pro tribus talentis, e SOLONIS legibus sacris destinatis, novem requirerentur. Quam ad rem confirmandam testes citantur.

Praetextu utitur NICOMACHUS, se pietatis, non parsimoniae, causa haec adscripsisse; quaeque, populo si minus placeant, deleri posse, dicit. Hanc autem excusationem damnum, quo ille biennio duodecim talentis ultra quam oportebat civitatem mulctaverat, non restituere, monet Orator §. 21: et inprimis hoc temporis spatio, quo res publica

(1) Vid. infra adn. ad h. l.

magna pecuniae inopia premebatur, ita ut Lacedaemonii minati instarent, nisi pecuniam Triginta-viris mutuo datam (cf. XEN. *Hell.* II. 4, 28) remitterent: Boeotii ius talionis sibi vindicarent, quod duo ipsis talenta reddere nequibant: hoc tempore, quo navalia et moenia concidentia vidit: quum praeterea sciret, Senatum, si, quo res publicae administrarentur, sufficiens habeat, non saevire, si contra in penuria versetur, εἰσαγγελίας actiones accipere, et ad civium bona publicanda cogi.

His expositis se ad iudices vertens, eos animadvertere iubet Orator, omnes eos, qui bona publica furari cuperent, mentem intendere ὅπως Νικόμαχος ἀγωνιεῖται (§. 25) huius enim certaminis eventu perspicuum fore, utrum impune civitatem damno afficere liceret, nec ne. In memoriam igitur revocare iudicibus suadet, multos iam cives furti causa ab ipsis interfectos esse, a quibus tamen multo minus periculum esset, quippe qui modo praesenti tempori nocuissent, quum NICOMACHUS contra in legum et sacrorum descriptione donis corruptus in aeternum civitatem damno affecisset.

Porro §. 26—31 iudicibus persuadere pergit, reo parcere ipsos non decere, quippe qui tanta et tot beneficia — pro servo enim factus est civis (vid. huius argumenti initium), pro mendico dives, pro subscriba legislator — ita pessime retulisset, ut civitatem ad summam perduxerit miseriam. Ipsum increpat populum Orator, quod, quum maiores SOLONEM, THEMISTOCLEM et PERICLEM, viros morum integritate commendandos, legislatores elegissent, tale munus TISAMENO Mechanionis filio, NICOMACHO aliisque subscribis commisisset.

Denique in fine Orationis certiores facit iudices, multos amicos NICOMACHI δεῖσθαι ὑπὲρ αὐτοῦ, i.e. ut eius causae orando faverent paratos esse, quorum precum nullam

habere suadet rationem quippe τὴν ὑμετέραν νομοθεσίαν ἀφανιζόντων. Nos enim, ait, ab his sollicitati, precibus obedire noluimus: idem a vobis petimus, provocamus.

## §. 2.

### HISTORIA ACTIONIS. TEMPUS, QUO HABITA SIT ORATIO.

Argumento huius Orationis exposito, prius quam accusationis capita exponamus, actionis historiam, difficultatibus implicatam, quas vario modo tollere interpretes conati sunt, illustrare necesse puto, quo facto tempus, quo sit habita Oratio, sponte designabitur.

Statim enim in initio Orationis sibi invicem contraria visa ab actore narrata nos offendunt: §. 2 quidem actor NICOMACHO imputat quod pro *tribus mensibus* in *sexennium* imperium traxisset; sed §. 4 eum accusat quod *quatuor annos* munere, quod *triginta diebus* perficere ei erat mandatum, functus esset.

Praeterea, quum in initio Orationis modo de legibus SOLONIS describendis ante Triginta-virorum dominatum (§. 9—15) sermo sit, in postrema parte de Sacris a reo corruptis post restitutam libertatem (§. 22) actor loquitur: de quibus locis infra disputabimus.

Primum quale NICOMACHI fuerit munus, inquiramus. Multis quidem locis huius Orationis νομοθέτης vocatur, quamquam inter eos, quos quotannis ex SOLONIS (1) in-

(1) Cff. Dem. *adv. Lept.* p. 485, Aeschin. *adv. Ctesiph.* p. 379, ubi Orator loquitur de annua illa Thesmothetarum cen-

stituto a populo creari e numero eorum, qui in Heliaea ius dixissent et iusiurandum, quod ab Heliastis exigi solebat, dedissent, notum est, NICOMACHUM fuisse statui nequit. Nam ex quotannis novis creatis Heliastis Nomothetas esse necesse erat, cf. DEM. *adv. Lept.* l. l.: nullo igitur modo fieri potuit, ut unus eorum diutius quam per annum munus suum traheret, quod NICOMACHUM per sex continuos retinuisse actor dicit. Praeterea parum verisimile est, illum, qui tam obscuro natus erat loco, ut pater eius *δημοσίος* fuisset, ipseque iam adultus (§. 2) civium catalogo esset adscriptus, tantam consecutum esse dignitatem. Extra ordinem igitur hoc munus ei esse oblatum, neque adeo eo consilio, ut novas proponeret leges, sed potius ut adhuc vigentes colligeret, in ordinem redigeret, et ut supra posuimus, ex antiquo et fere obsoleto in usitatiorem transferret sermonem, nobis persuasum est. Nam praeter illos quotannis statuto tempore creatos Nomothetas, aliquando quoque Extraordinarii sunt delecti, ut ex eo, quod post exactos Triginta-viros factum ab ANDOC. *de Myst.* p. 36 nobis traditur, cognoscimus. In eo enim psephismate *οἱ ἠρημένοι Νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς*, scil. Extraordinarii, opponuntur illis qui *οἱ Νομοθέται οἱ πεντακόσιοι* (1), *οὓς οἱ δημόται εἵλοντο*, scil.

---

sura, quum accurata instituebatur; inquisitio, essetne lex aliqua alteri contraria legi? essentne plures singulis de rebus perscriptae; quod si accidisset, alterutra delenda esset: quae tamen res sine Nomothetis perfici nequibat. Cf. Schoem. *de Com.* p. 259.

De horum Nomothetarum munere et legum censura omnino operae est pretium conferre Dem. *Orationes adv. Timocr. et Lept.*, Wolfii *Prolog. in Lept. et* Schoem. l. l. p. 250—270.

(1) De hoc numero cf. Wolf. *Prol. ad Lept.* (*in Dobs. Ed. Orat. Att.* vol. VI. p. 386) in annot. Schoem. *de Com.* l. l.

Ordinarii, vocantur: e quibus verbis simul discimus, illos Extraordinarios a Senatu creari. Ex numero horum secundum illud Tisameni memoratum psephisma creatorum Nomothetarum NICOMACHUM fuisse, mox probare conabimur; cui quum ea, quae actor §. 4 dicit, reum neque rationes reddere, neque munere se abdicare voluisse ante calamitates post pugnam apud Aegos Patamos, repugnare videantur, primum paucis verbis dicere placet: NICOMACHUM bis legum describendarum munere functum esse, et primum quidem post Quadringentos-viros electos, quod munus pro *quatuor mensibus* in *sexennium* traxit, postremo post Triginta-virorum imperium, quum, quod illi per *unum mensem* concessum erat munus, *quatuor* retinuit *annos:* cuius sententiae argumentorum amplius exponendorum frequens in aliorum opinionibus refellendis se offeret occasio.

Ex historia igitur inquiramus, quam ob rem hi Nomethetae Extraordinarii sint instituti, quoque tempore prima eorum fiat mentio.

Statim post nuncium calamitatis Siculae acceptum, magistratus instituere extra ordinem — *ἀρχήν τινα πρεσβυτέρων ἀνδρῶν ἑλέσθαι οἵτινες περὶ τῶν παρόντων ὡς ἂν καιρὸς ᾖ προβουλεύσουσι*, THUC. VIII. 1 — ab Atheniensibus est decretum. Cf. WACHSM. II. I. p. 198. Quorum dignitas annua fuisse videtur. Vid. SCHOEM. *Ant. J. P.* p. 181. Hi magistratus, *πρόβουλοι* vocati, quid reipublicae praestiterint a THUCYDIDE non memoratur; non diu munere functos esse e rebus postea gestis apparet: quum enim civitatis salus in uno ALCIBIADIS reditu, qui, populari imperio in Oligarchiam converso, se in patriam rediturum pollicitus erat, posita esse videretur, PISANDER cum aliis e classe, apud Samum commorata, Athenas mittebatur, ut rem cum populo communicaret. Hic cum novem aliis populi decreto legatus electus, et ad Tissaphernem Alci-

biademque eam ad rem peragendam missus, infectis rebus ut rediit, cum ducibus Sami degentibus formae imperii mutandae et Oligarchiae constituendae cepit consilium: quibus maxime sociis civibusque adiuvantibus, iterum alii extra ordinem Magistratus (1), δέκα scil. συγγραφεῖς

(1) Hos συγγραφέας 10 fuisse testatur l. l. Thuc.; eos autem commemorans, et locum hunc Thucydideum describens Harpocr. s. v. addit: ἦσαν δὲ οἱ μὲν πάντες συγγραφεῖς τριάκοντα οἱ τότε αἱρεθέντες, καθά φησιν Ἀνδροτίων τε καὶ Φιλόχορος, ἑκάτερος τῇ Ἀτθίδι, ὁ δὲ Θουκυδίδης τῶν δέκα ἐμνημόνευσε μόνων τῶν προβούλων, ad quem locum Vales. pag. 71. annotavit: Harpocrat. 10 illos συγγραφέας, quorum Thuc. meminit, qui ante 400 electi sunt, confudisse cum 30 istis συγγραφεῦσι, quorum meminisse Androt. aliique videtur. Hos enim, qui postea 30 tyranni evaserunt, e populo συγγραφέας τῶν νόμων electos esse, testatur Xen. *Hell.* II. 3, 2: ἔδοξε τῷ δήμῳ τριάκοντα ἄνδρας ἑλέσθαι, οἵ τοὺς πατρίους νόμους συγγράψουσι, καθ' οὓς πολιτεύσουσι. Huic explicationi Valesii, quominus eam probet, Schoem. *Ant. J. P.* p. 181 n. 2, obiicit locum Suidae s. v. πρόβουλοι: πρὸς τοῖς οὗσι δέκα ἡρέθησαν (ex emend. Vales. l. l. pro vulgato οὗσι διηρέθησαν leg. οὗσι ἱ ἡρέθησαι) ἄλλοι εἴκοσι εἰσηγησόμενοι τὰ δοκοῦντα τῇ πολιτείᾳ, μετὰ τὴν ἐν Σικελίᾳ συμφοράν, quibus verbis nixus, ita rem explicat, ut iidem illi πρόβουλοι, quorum Thuc. VIII. 1 mentionem facit, etiam συγγραφεῖς creati et ab his viginti adlecti sint." Mirum tamen puto Thucydidem, accuratum illum historiae scriptorem, hoc fugisse, neque ullum alium eos 30 fuisse memorare scriptorem. — Cff. Lys. *in Eratosth.* p. 426, Aristot. Rhet 3, cap. 18. et scriptores a Schoem. l. l. memorati, Runhk. *Diss. de Antiph. in Reisk. O. G.* VII. p. 819 (ed. Dobs. *O. Att.* I. 13), Taylori, *vita Lysiae in Reisk.* VI. p. 115, Dobs. II. 39. Quare verisimilius puto, Harpocrat. illos 10 συγγραφέας cum istis 30 tyrannis confudisse, quam difficultatem inde ortam Suidas, quem ex Harpocr. pleraque fere ad verbum descripsisse omnibus satis notum, animadvertens, de suo, ut verba Thuc. Androt. et Philoch. inter se conciliaret, addidit, his 10 postea

(Thuc. VIII. 67,) instituti sunt, quibus suadentibus οἱ τετρακόσιοι creati sunt. Quatuor modo horum cum permanserit imperium — cf. Harpocr. et Suid. s. v. — concio habebatur populi, ἐν ᾗπερ τοὺς τετρακοσίους μεταπαύσαντες τοῖς πεντακισχιλίοις ἐψηφίσαντο τὰ πράγματα παραδοῦναι, Thuc. l. l. 97; statimque addit: ἐγίγνοντο καὶ ἄλλαι ὕστερον πυκναὶ ἐκκλησίαι, ἀφ' ὧν καὶ νομοθέτας καὶ τἆλλα ἐψηφίσαντο ἐς τὴν πολιτείαν. Hos non fuisse Nomothetas Ordinarios, inde, puto, coniicere licet, quod horum sortitionis nunquam Thucydides mentionem fecit, praetereaque ipsa verba ἐψηφίσαντο νομοθέτας mihi indicare videntur, extra ordinem quiddam factum esse, i. e. institutum esse extra ordinem magistratum, qui leges in ordinem redigendas curaret. Arnoldus hoc etiam suspicari videtur, quia νομοθέτας intelligit viros constituendae reipublicae delectos, eodem igitur munere fungentes, quo συγγραφέας c. 67, qui per factionem optimatum instituti erant: vid. ann. Goell. ad h. loc. Hoc autem inter eorum munus discrimen fuisse credo, ut συγγραφεῖς eo electi fuerint consilio, ut aliam civitatis administrandae formam proponerent; νομοθετῶν dignitas atque munus eo constiterit, ut leges antiquatas aut subditicias delerent, adhuc vigentes colligerent, quasque sub quadringentorum imperio neglectas invenirent aut interpolatas, restituerent, novasque, rerum statui accommodatas, addendas proponerent. Hos vocatos esse νομοθέτας, nemini, quae huius vocabuli varia fuerit vis — cff. Demosth. *Orat. in Timocr. et Lept.* multis locis, et Schoem. l. l. p. 265 n. 39 — non ignoranti, mirum videbitur. Eadem etiam ratione illi, qui post 30

---

20 adscriptos fuisse: huic enim locum Isocrat. *in Areop.* p. 151 *Steph*, una συνέδρους et συγγραφέας memorantis, non obstare, ex ann. Bergmanni ad h. l., utroque vocabulo Isocratem idem significasse, docentis, videre licet.

viros ad idem munus creati sunt, *νομοθέται* vocantur. Cf. *And. de Myst.* p. 40 sqq.

Inter hos a THUCYDIDE l. l. memoratos Nomothetas NICOMACHUM huncce fuisse priusquam statuamus, difficultas, quam THUC. praecedentia (*καὶ μισθὸν μηδένα φέρειν μηδεμιᾷ ἀρχῇ*) offerunt, tollenda est. NICOMACHUM enim mercedem accepisse, LYSIAS §. 2 verbis *καθ' ἑκάστην δὲ ἡμέραν ἀργύριον λαμβάνων*, satis perspicue indicat. De ampla et incerta vocabuli *ἀρχῆς* significatione iam supra, pag. 6 n. 2, annotavimus. Non igitur verisimile duco, omnes magistratus — de quorum mercede cff. BOECKH. *Oec. Civ.* Vol. I. p. 244—260 et WACHSM. *Ant. Hell.* Vol. II. 1 p. 122—124 — munere sine ulla mercede accepta eo functos esse tempore, sed inprimis Magistratus maiores h. l. THUCYDIDEM indicare voluisse: antiquitus enim apud Athenienses hoc *ὑπηρεσίαν* inter et *ἀρχὴν* discrimen fuisse, quod *ὑπηρεσίᾳ* fungi mercede conducti dicerentur, *ἀρχῇ* contra usurparetur de iis, qui gratuito rem administrabant publicam, animadvertit BOECKH. l. l. p. 257 (1). Neque sine causa hoc decretum esse, ex iis quae THUC. cap. 69 eiusdem libri narrat, coniiciendum est. Quadringenti enim, imperio occupato, Senatores abrogaverant, sed ne tot homines novis rebus exasperatos et animis alienatos dimitterent, *εἶπον αὐτοῖς ἐξιέναι λαβοῦσι τὸν μισθόν, ἔφερον δὲ αὐτοῖς τοῦ ὑπολοίπου χρόνου παντὸς αὐτοί, καὶ ἐξιοῦσιν ἐδίδοσαν*, i. e. mercedem illis solvebant totius temporis quod reliquum erat ad annum explendum: cff. BOECKH. l. l. p. 250, MEIJER. *de Bon. Damn.* p. 9 et DOBRAEI *Advers. ad h. l.*; aliter autem ex-

(1) Aliam autem rationem, ut hunc Thuc. locum explicarent, inierunt interpretes. Vid. Poppo *in Ann. ad L.* VIII. cap. 6.

plicuit KRUEGERUS, qui minus recte, credo, verba τὸν τοῦ ὑπολοίπου χρόνου μισθὸν de mercede praeteriti temporis adhuc Senatoribus debita interpretatus est. Bis igitur, quatuor modo menses quum imperium tenuerint Quadringenti, nisi eo cautum esset decreto, mercedem Senatoribus huius anni solvere debuissent. Parum autem credibile, iudices v. c. sine ulla mercede eo tempore ius dixisse: satis enim notum, post PERICLEM μισθὸν δικαστικὸν magnam pauperum Atheniensium civium quotidiani victus effecisse partem. Quamobrem haec THUCYDIDIS verba non ad sequentia, ubi de Nomothetis sermo est, referenda esse puto (1). Praeterea, si NICOMACHUM ex eorum fuisse

(1) Quum iam diu hoc scripseram, in manus mihi venerunt Popponis ad hunc Thuc. locum annotata, ubi haec inveniuntur: » A Nomothetis ordinariis, qui quotannis ad leges examinandas et supplendas creati sunt, distinguendi hi, qui cum extraordinaria potestate in tempus non definitum constituti sunt. Eos potestatem suam obtinuisse, donec Athenae ab hostibus captae essent, ex Lys. *adv. Nicom.* p. 183 §. 2 (ἕξέτη τὴν ἀρχήν) demonstrare studet Peter *Comment. Crit. de Xenoph. Hell.* p. 52." In hac autem annotatione multa quae refutentur digna sunt. Primo enim loco Nomothetarum ordinariorum munus non erat, leges examinare; hoc Thesmothetarum erat: vid. quae infra §. 6 annotabimus, ubi Schoem. *de Com.* p. 269 citatum invenies. Nomothetae modo leges a civibus propositas vel examinabant, vel ipsi novas proponebant. Porro extraordinarios Nomothetas in tempus indefinitum constitutos fuisse, satis Andoc. *de Myst.* p. 39 in psephismate Tisameni, quod totum psephisma infra describam, et Lysias in hac Orat. — si Nicomachum inter illos a Thucydide memoratos fuisse sumimus — §. 2 et 4 refutant. Denique quod Peter l. l. (cuius Comment. non vidi) animadvertit, eos potestatem, donec Athenae captae essent, obtinuisse, ipsa hac Oratione refutatur: Nicomachus enim contra propterea, quod sex annos munus, in quatuor ei concessum menses, retinuisset, accusatur. Minime etiam ex hac

numero sumimus, recte ea procedunt quae Orator §. 2 dicit: *ἀντὶ τεσσάρων μηνῶν ἑξέτη τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο*; et §. 4: *ἀλλὰ πρότερον ἡ πόλις εἰς τὰς μεγίστας συμφορὰς κατέστη πρὶν τοῦτον ἀπαλλαγῆναι τῆς ἀρχῆς, καὶ τῶν πεπραγμένων εὐθύνας ὑποσχεῖν.* Sex igitur annos ante urbem post pugnam apud Aegos Potamos terra marique obsessam — vid. de h. l. infra — SOLONIS legum describendarum munus reus accepit.

Quod omnino cum iis, quae disputavimus, congruit (1). Septem enim annos ante Triginta-virorum imperium Quadringentis Ol. XCII. 1—2 creatis et post 4 eiectis mensis, non diu post Nomothetae instituebantur. Ne tamen quis hominem tam obscuro loco natum — *ὑπογραμματέα* — tantam nactum esse dignitatem miretur, animadvertere iuvat, NICOMACHUM, quamquam e minus honesto genere oriundum, ingenii dotibus ita excelluisse, ut §. 24 inter Rhetores numeretur: *ἀλλ' ὅταν παρὰ τῶν δυναμένων λέγειν δίκην λαμβάνητε.* Neque hoc praetermittendum est, post cladem Siculam, republica discordia et partibus agitata, tali viro, qualis NICOMACHUS fuisse videtur, maiorem dignitatem, quam genus et origo, republica tranquilla, concederet, obtinendi aditum planum fuisse; multa huiusmodi exempla ex LYSIAE Orationibus peti possunt,

---

Oratione, omnes Nomothetas ad id temporis spatium munus habuisse, statui potest: solus enim Nicomachus accusatur, ita ut nihil, quominus eius socii intra iustum tempus munus deposuisse statuamus, prohibeat: vid. quae in fine huius § de secundo Nicomachi munere disputavimus.

(1) Harpocr. et Suid. s. v. *οἳ τετρακόσιοι πρὸ ἕπτα ἐτῶν κατέστησαν τῶν Τριάκοντα τυράννων παρ' Ἀθηναίοις, οἵτινες τέτταρας μῆνας ἦρξαν τῆς πόλεως, ὡς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ.* Cff. notae Maussaci et Valesii ad h. l., et porro Meijer. *de Bon. Damn.* p. 9.

imprimis ex Orat. in Agoratum, qui δοῦλος ἐκ δούλων ὤν (1), ut actor ei exprobrat p. 455 et 487, per istas Reipublicae calamitates non modo ius civitatis sibi arrogaverat, sed multorum etiam honestorum civium mortis auctor fuerat.

His NOMOTHETIS post 400 imperium abrogatum institutis, ut ordinariis iis ex Heliastis deligendis certum atque statutum tempus pro numero legum propositarum praefiniebatur — cf. DEM. *in Timocr.* p. 706, SCHOEM. *de Com.* p. 256 —, tempus quo mandatum perficiendum, munusque deponendum esset, definitum fuisse, ex iis, quae ANDOC. *de Myst.* l. l. de Nomothetis post 30 virorum tempora creatis tradit, satis tuto coniici posset; hactenus autem, si recte NICOMACHUM ex iis fuisse disputavimus, ex huius Orationis §. 2 quatuor iis, ut opus perficerent, menses concessos esse discimus: προσταχθὲν αὐτῷ τεσσάρων μηνῶν ἀναγράψαι τοὺς νόμους τοὺς Σόλωνος. Quae tamen minime convenire cum iis, quae actor §. 4 dicit τέτταρα ἔτη ἀνέγραψεν, ἐξὸν αὐτῷ τριάκοντα ἡμερῶν ἀπαλλαγῆναι, LYSIAE interpretes viderunt; at difficultatem tollere omnes praeter BERGKIUM *ad Calc. Andocidis Schill.*, bis reum eodem functum fuisse munere recte disputantem, frustra conati sunt. Audiamus ipsum MARKLANDUM, quem reliqui interpretes fere omnes secuti sunt: » has apparentes ἐναντιώσεις ita conciliari posse puto: NICOMACHO scribae concedebantur *quatuor menses* ad describendas vel rescribendas SOLONIS leges, quas ille, si voluisset, *uno mense* potuisset absolvere. Ille vero plus quam *quatuor annos* in hoc opere absumpsit: quibus elapsis, Archontes mulctas ei imposuerunt et in ius tradebant, ut cogeretur reddere exemplaria legum, quae per totum hoc tempus penes se habuerat. Ille autem ne sic

(1) Vid. de his verbis Moll. *de Peregr. apud Ath. Cond.* p. 28 in not.

quidem parere et leges reddere voluit, sed tergiversando et moras nectendo, paene *duos* alios annos insumpsit." Hanc explicationem iam per se parum probandam esse, ex iis, quae LYSIAS addidit §. 2· *ἀντὶ δὲ τεσσάρων μηνῶν ἑξέτη τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο καθ' ἑκάστην δὲ ἡμέραν ἀργύριόν λαμβάνων*, satis apparet. Quatuor enim annis elapsis, ex MARKL. interpretatione, Archontes eum mulctavissent, iudicioque tradidissent; unde sequitur, eum per duos annos, postquam iudicio traditus esset, singulis diebus mercedem accepisse: quod sane nemini credibile videbitur. Praeterea, quod eum post accusationem tergiversando et moras nectendo *duos* alios insumpsisse annos statuit, id ipsa Oratoris verba refutant, *ἀλλα πρότερον ἡ πόλις εἰς τὰς μεγίστας συμφορὰς κατέστη πρὶν τοῦτον ἀπαλλαγῆναι τῆς ἀρχῆς καὶ τῶν πεπραγμένων εὐθύνας ὑποσχεῖν*: quibus verbis actor indicat, has calamitates Reipublicae accidisse per tempus (1), quod inter accusationem et rationes reddendas praeterire necesse erat. Sed difficultates, quibus sua laboraret explicatio, hunc aliis locis acutum LYSIAE interpretem intellexisse, satis ostendunt haec in fine annotationis addita: »ita solvi posse puto has difficultates, nisi aliquid melius subministrent MSS." Rationem quodammodo diversam, quam, ut haec sibi invicem contraria visa conciliaret, iniit Bremius: NICOMACHUM nempe quadriennio elapso in Senatum ad rationem reddendam adductum esse, actionemque sub Triginta-viris, quorum dominatu leges obmutescerent omnes, per duos dilatam annos, statim post eos electos, et quidem adhuc Ol. XCIV., renovatam esse, luculenter refellit BERGK. l. l. p. 142, verba citans ANDOCID. *de Myst.* p. 39 et 43, quibus nemini ostendit licere, de iis, quae ante acta essent, accu-

(1) Vid. Poll. *Onom.* VIII. 45. Harpocr. s. v. *λογισταὶ*.

sationem instituere (1); minus recte autem idem interpres, ut defendat, non licuisse actionem illam, ante Rei-

(1) Hanc legem non semper fuisse observatam, ex Isocr. *Orat. adv. Callim.* p. 371 Steph. discimus: *ἐπειδὴ γὰρ ἐκ Πειραιέως κατελθόντες ἐνίους ἐωρᾶτε τῶν πολιτῶν συκοφαντεῖν ὠρμημένους καὶ τὰς συνθήκας λύειν ἐπιχειροῦντας, βουλόμενοι τούτους τε παῦσαι, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπιδεῖξαι, ὅτι οὐκ ἀναγκασθέντες ἐποιήσασθε αὐτὰς, ἀλλ' ἡγούμενοι τῇ πόλει συμφέρειν, εἰπόντος Ἀργίνου νόμον ἔθεσθε, ἄν τις δικάζηται παρὰ τοὺς ὅρκους, ἐξεῖναι τῷ φεύγοντι παραγράψασθαι, τοὺς δὲ ἄρχοντας περὶ τούτου πρῶτον εἰσάγειν, λέγειν δὲ πρότερον τὸν παραγραψάμενον, ὁπότερος δ' ἂν ἡττηθῇ, τὴν ἐπωβελίαν ὀφείλειν, ἵν' οἱ τολμῶντες μνησικακεῖν μὴ μόνον ἐπιορκοῦντες ἐξελέγχοιντο, μηδὲ τὴν παρὰ τῶν θεῶν τιμωρίαν ὑπομένοιεν, ἀλλὰ καὶ παραχρῆμα ζημιοῦντο.* Cf. *de Lite Att.* p. 647.

Quibus verbis ducti, nonnulli interpretes, Lysiam in Orationibus in Eratosth., in Agoratum et de affectata Tyrannide, legem *τοῦ μὴ μνησικακήσειν* neglexisse, putaverunt, quam sententiam, etiam si hanc Archini legem, qua erat cautum, ut unicuique contra pactum accusato liceret exceptione uti — *παραγράψασθαι* —, post has Lysiae Orationes habitas latam fuisse sumimus, refellere non difficile est. Ea enim oblivionis lege Triginta-viri exclusi erant, nisi rerum gestarum rationes reddere vellent: cf. And. *de Myst.* p. 44. Eratosthenes igitur rationes illas quum reddebat, haec Lysiae Oratio *ἐν εὐθύναις* habita est, ut Meierus *de Bon. Damn.* p. 188 statuit; neque mirum, huius imperii, cuius rationes reddebat, facinora ac scelera a Lysia memorari. In Agoratum pag. 506—509 ipse actor, ne reus ad oblivionis illud decretum provocet, dicit, inter cives *ἐξ ἄστεος* et *ἐκ Πειραιέως* solum hoc vigere, minime inter ipsos exules. Haec enim explicatio et legis circumscriptio, quamquam fortasse magis astuta quam vera — hanc interpretationem Franzius in Diss. *de Lys. Orat. Att.*, Graece scripta, prorsus praetermisit (pag. 8) —, nihil prohibet quominus ex ipsis legis verbis coniiciatur. De accusatione *τοῦ Δήμου καταλυσέως* certi quid statuere difficile est, quod defensio, quam Lysias scripsit, adeo mutila, ut finis plane desideretur, ad nos pervenit; ex ipsa tamen actione (cf. Hoelscher. l. l. p. 106) et

publicae calamitates inchoatam, postea, libertate restituta, persequi, legem, quam DEM. *in Orat. in Timocr.* p. 717

---

ex poenae memoratione satis patet, reum non *Δήμου καταλύσεως* accusatum fuisse — huius criminis enim actio *εἰσαγγελία* erat, neque mors imminebat; cf. *de Lite Att.* p. 343, Lelyveld. *de Infamia* p. 44, Andoc. *de Myst.* p. 47, Plut. *in Comp.* Solonis cum Poplic. p. 100, quod minime convenit cum eo, quod reus se *δίκην δίδοναι* pag. 782 modo periclitari dicit — quare recte *de Lite Att.* p. 208 coniici puto, hanc orationem in *δοκιμασίᾳ* in Heliastarum tribunali habitam esse. Ille igitur, qui hanc habuit defensionem, Magistratus electus, a Sycophantis in *δοκιμασίᾳ*, ut ex hac defensione p. 772 coniicere licet, accusatus erat, non modo quod sub Triginta-virorum dominatu in urbe mansisset, sed etiam magistratus gesti. Quamquam ex oblivionis decreto *Δήμου καταλύσεως* actionem instituere vetitum erat, non tamen eatenus viguisse illud decretum verisimile duco, ut iisdem, qui *δημοκρατίας καταλυθείσης* magistratum gessissent — qui quam odiosi Atheniensibus essent, ex And. *de Myst.* p. 772 videndum est — libertate restituta, magistratum gerere liceret. Hanc sententiam etiam confirmat Orat. in Philonem, qui, quum sub Triginta-viris neutri se addixisset parti, posteaque restituta libertate inter Senatores lectus esset, in *δοκιμασία* accusatur quod Senatorio quo fungeretur munere indignum se praestitisset. Eadem Oratio iam Lysiae aetate Solonis leges parum cognitas fuisse, et iuris peritos sese profitentes maiorem eloquentiae et aurae populari quam iuris legumque cognitioni navasse operam, documentum nobis offert egregium: pag. enim 886 huius Orationis actor ipse rei obiectionem, hoc de crimine nullam apud Athenienses exstare legem, ita retorquet, ut dicat, tantum scelus legislatorem omnino ne praevidere quidem potuisse; licet ab aliis scriptoribus disertis verbis traditum est, Solonis exstare legem, quae *τὸν ἐν στάσει μηδετέρᾳ μερίδι προσθεμένον, μηδὲ συστασιάντα infamia* notaret: cf. Plut. *de S. N. V.* p. 13 Wytt., cuius vid. animadv. ad h. l. p. 26; idemque in vit. Solon. p. 89 F., et *Reip. G. praec.* p. 823 et 824 F. Cicero eandem memorans legem *Ep. ad Att.* X. 1, reum *capite* sanxisse, et Aristoteles apud

servavit, citat: ὅσων δίκη πρότερον ἐγένετο ἢ εὐθύνα ἢ διαδικασία περὶ τοῦ ἐν δικαστηρίῳ ἢ ἰδία ἢ δημοσία ἢ τὸ δημόσιον ἀπέδοτο, μὴ εἰσάγειν περὶ τούτων εἰς τὸ δικαστήριον, μηδ' ἐπιψηφίζειν τῶν ἀρχόντων μηδένα, μηδὲ κατηγορεῖν ἐώντων ἃ οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι: haec enim lex modo vetat de rebus, de quibus iudicium (1) iam factum, aut rationes redditae, aut suffragia lata essent, iterum actionem instituere, minime inchoatam persequi. De NICOMACHO autem nullum factum est iudicium, neque ab illo rationes sunt redditae §. 4 ἐκείνων δίκην οὐ δέδωκε et in fine §. 3. Neminem offendat, eum ab Archontibus mulctatum fuisse — ἐπιβαλλόντων δὲ τῶν ἀρχόντων ἐπιβολάς, de qua formula infra in Ann. dicemus — hoc enim ad ea quae praecedunt referendum est: ita fraudulenter, narrat Orator, NICOMACHUS in legibus describendis se gessit, ut adversarius in iudicio leges uterque proferret a NICOMACHO acceptas; ipsas autem SOLONIS leges proferre nolenti frustra mulctae imponebantur ab Archontibus, et deductione ad tribunal ad tradendas urgebatur leges, quum, nondum confecto negotio, urbe terra marique obsessa, ad tantam civitas pervenit calamitatem, ut ἀτίμους ἐπιτίμους reddere necesse esset, vid. XEN. *Hell.* II. 2, 6 τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ποιήσαντες ἐκαρτέρουν: DIOD. SIC. L. XIII. cap. 107 et AND. *de Myst.* p. 35: et psephisma illud Patroclis eo latum tempore pag. 36 eiusdem Orationis, quod omnes interpretes fugisse videtur: hoc enim psephismate non modo

---

Aul. Gell. *Noct. Att.* II. 12, *exilio* eum punivisse Solonem tradit, de quo poenae discrimine vid. Meurs. *Them. Att.* I. 12 et *Solon.* c. 15, Petit. *Legg. Att.* p. 670, Meier. *de Bon. Damn.* p. 101. n. 337, Lelyveld. *de Infamia* p. 174 sq.

(1) *Δίκη* enim h. l. non significare *actionem*, sed *iudicium*, reliqua verba suadent. Vid. de huius vocabuli varia vi et significatione *de Lit. Att.* p. 153 sqq.

MARKL. et BREMII sententiae refutantur, sed causa simul, cur iudicium non sit confectum, illustratur: nam omnes, quorum causa in iudicio versabatur, hoc populi absolvebantur decreto: *ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν ἢ ὀφείλοντες, καὶ ὅσων εὐθῦναι τινές εἰσι κατεγνωσμέναι ἐν τοῖς λογιστηρίοις ὑπὸ τῶν εὐθύνων ἢ [καὶ]* (1) *τῶν παρέδρων, ἢ μήπω εἰσηγμέναι εἰς τὸ δικαστήριον γραφαί τινές εἰσι περὶ τῶν εὐθυνῶν, ἢ προστάξεις, ἢ ἐγγύαι τινές εἰσι κατεγνωσμέναι εἰς τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον· καὶ ὅσα ὀνόματα — — τὰ δὲ ἄλλα πάντα ἐξαλεῖψαι τοὺς πράκτορας καὶ τὴν βουλήν· — — ἃ δ' εἴρηται ἐξαλεῖψαι, μὴ κεκτῆσθαι ἰδίᾳ μηδενὶ ἐξεῖναι, μηδὲ μνησικακῆσαι μηδέποτε· εἰ δὲ μή, ἔνοχον εἶναι τὸν παραβαίνοντα ταῦτα ἐν τοῖς αὐτοῖς, ἐν οἷσπερ οἱ ἐξ Ἀρείου πάγου φεύγοντες, ὅπως ἂν ὡς πιστότατα ἔχοι Ἀθηναίοις καὶ νῦν καὶ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον* (2). Inter reos igitur, iudicio nondum confecto, hoc populi decreto absolutos NICOMACHUM fuisse, indicat actor verbis §. 4 supra memoratis: neminique licuisse postea de eadem re actionem instituere, huius ipsius psephismatis finis suadet, nec minus lex apud DEM. *Orat. in Timocr.* p. 718: *τὰς δίκας καὶ τὰς διαίτας ὅσαι ἐγένοντο ἐπὶ τοῖς νόμοις ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει, κυρίας εἶναι.* Cf. AND. *Or. I.* pag. 42, HERMANN. *Comp. Ant. Graec.* §. 169, MEIER. *de Bon. Damn.* p. 70 n. 232.

Hactenus si recte disputavimus, apparet, NICOMACHUM eodem fere tempore, quo *Πεντακισχίλιοι* summum acceperunt imperium, ad SOLONIS describendas leges delectum, hoc munus ad id tempus, quo PATROCLIDIS latum sit psephisma, i. e. per sex conti-

(1) Vid. *de Lit. Att.* p. 101. Museum Rhen. *Hist. Phil.* 1827. parte 2. p. 75.

(2) Vid. de hoc psephismate Boeckh. *Oec. Civ. Att.* p. 206 n. 182.

nuos annos, traxisse, et ex ipsis LYSIAE modo citatis (§. 3) verbis perspicuum est, eum munere se tunc abdicasse, itaque leges SOLONIS tradidisse, quare, quid Orationis in Ed. DOBS. argumenti auctorem — TAYLORUM, — quod FRANZIUS ad verbum descripsit, in errorem induxerit, dicentem, reum novas — maxime sub triginta-viris — leges pro arbitrio intulisse, ad coniiciendum difficile est, quia non modo nihil, unde suspicari liceret NICOMACHUM sub triginta-viris SOLONIS leges tenuisse, hacce in Oratione invenitur; sed contra diserte verbis eum sub horum imperio (§. 15) emigrasse, posteaque una cum reliquis exsulibus (§. 16) rediisse, actor testatur. Omnia autem scelera, quae illo functus munere perpetraverat, modo obiter actor attigit, ut reum maius in odium iudicum adduceret, quod consilium ipse in Orationis initio his verbis profitetur: *ἐπειδὴ τοίνυν καὶ τῶν ἀπολογουμένων ἀποδέχεσθε, ἐάν τι ἀγαθὸν φαίνωνται τὴν πόλιν πεποιηκότες, ἄξιον καὶ τῶν κατηγόρων ὑμᾶς ἀκροάσασθαι, ἐὰν ἀποφαίνωσι τοὺς φεύγοντας πάλαι πονηροὺς ὄντας.* Eadem ratione, ut iudicum animos incenderet, reum iam antea civitatem magnis damnis affecisse inde a §. 9 — 15 CLEOPHONTIS interfecti auctorem fuisse eum exprobrat: HOLLSCHERUM enim l. l. pag. 114 reum *καταλύσεως τοῦ δήμου* argui suspicatum, falli ex actoris ipsius verbis (§. 15) perspicuum est.

Hanc igitur Orationem post restitutam libertatem habitam esse si probavero, quod difficile sane non erit, proposito, ut demonstrarem, bis NICOMACHUM eodem functum fuisse munere, satisfecisse mihi videor.

Primum, ut supra dixi, reum sub triginta-viris exsulem fuisse memorat actor. Praeterea dicit §. 22 *καὶ ταῦτα ὁρῶν αὐτὴν (τὴν πόλιν) ἀπορουμένην χρημάτων καὶ Λακεδαιμονίους μὲν ἀπειλοῦντας, ὅταν μὴ ἀποπέμψωμεν αὐτοῖς τὰ χρήματα κ. τ. λ.* quae verba, ut infra in ann. ad h. l. ostendam, agunt de centum illis talentis triginta-viris a Lacedaemo-

iis mutuo datis, posteaque libertate recuperata ab Atheniensibus illis redditis. Hic locus, etiam iis, quae de Theramene post triginta-viros eiectos Nomotheta delecto memorat auctor, omissis, satis superque hanc Orationem libertate iam restituta habitam esse, itaque reum delictorum post Aristocratiam perpetratorum accusari, docet.

Ad hoc igitur postremum munus, quod, ut ex ipsa videre licet oratione, praecipue in eo, ut leges sacrorum describeret reus, constitit, ea referenda sunt verba, quae supra attigimus: §. 4 *καὶ γάρ τοι, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἐπειδὴ ἐκείνων* — scil. quae priori munere perpetraverat scelera — *δίκην οὐ δέδωκε, ὁποίαν καὶ νῦν τὴν ἀρχὴν κατεστήσατο; ὅστις πρῶτον μὲν τέτταρα ἔτη ἀνέγραψεν, ἐξὸν αὐτῷ τριάκοντα ἡμερῶν ἀπαλλαγῆναι· ἔπειτα κ. τ. λ.* cf. Dobreus *in Adv. ad h. l.* Berok. l. l. pag. 145. Hoc munus, quod ex seqq. ubi pecuniae inopiae, qua tempore, quo est habita Oratio, premebatur civitas, mentio fit, iam suspicari possemus, non diu post reditum ex Piraeeo ei mandatum fuisse, pulcherrime ex Andoc. *Orat. de Myst.* confirmatur.

Populo enim ex Piraeeo reverso, civitatis libertatem firmo fundamento stabilire curae erat. Itaque, ut leges, quae sub Tyrannorum dominatu in oblivionem abiissent, restituerent, novisque, si opus esset, augerent, viri aliquot (1), a Senatu creati sunt solenni nomine *Nomothetae* vocati, quamquam extra ordinem delecti, neque

(1) Mori errorem ad Xenoph. *Hell.* II. 4, 30 *viginti* hos Nomothetas fuisse annotantis, testemque hunc Andoc. locum pag. 39 in init. *δόξαντα δὲ ὑμῖν ταῦτα, εἵλεσθε ἄνδρας ἑξήκοντα· τούτους δὲ ἐπιμελεῖσθαι τῆς πόλεως, ἕως ἂν οἱ νόμοι τεθεῖεν κ. τ. λ.*, iam Schoem. l. l. p. 270 n. 48 refutavit, recte docens iis viginti reipublicae administrationem esse mandatam, donec, constitutis legibus, Magistratus ordinarii crearentur. cf. etiam Poll. VIII. 112.

dum ordinariis confundendi, ut ex ipso Tisameni psephismate apud And. *de Myst. l. l.* satis constat (1). In horum numero Nicomachum fuisse, iam ex eo, quod tempus legibus conscribendis — *παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνί* — iis Nomothetis concessum, cum eo, quod actor §. 4 reo tributum esse dicit — *ὀξὺν αὐτῷ τριάκοντα ἡμερῶν ἀπαλλαγῆναι* — plane convenit, suspicari quis possit, nisi §. 28, ubi eodem nempe numero, quo Nicomachum, etiam Tisamenum, illius psephismatis auctorem, functum fuisse, tradit Orator, omne sublatum esset dubium. Ne autem obiiciatur, illos Nomothetas inter tempus justum id, quod mandatum erat, explevisse, cf. *de Myst.* p. 40., animadvertere sufficit, nihil obstare;

---

(1) And. *de Myst.* pag. 39 in fine, *ἔδοξε τῷ δήμῳ, Τισαμενὸς εἶπε, πολιτεύεσθαι Ἀθηναίους, κατὰ τὰ πάτρια, νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος, καὶ μέτροις καὶ σταθμοῖς· χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς, οἵσπερ ἐχρώμεθα ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ. Ὁπόσων δ' ἂν προσδέοι, οἵδε ἠρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγράφοντες ἐν σανίσιν ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς ἐπωνύμους σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ· καὶ παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνί· τοὺς δὲ παραδεδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι, οὓς οἱ δήμοται εἵλοντο, ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν· ἐξεῖναι δὲ καὶ ἰδιώτῃ τῷ βουλομένῳ, εἰσιόντι εἰς τὴν βουλὴν συμβουλεύειν ὅτι ἂν ἀγαθὸν ἔχῃ περὶ τῶν νόμων· ἐπειδὰν δὲ τεθῶσιν οἱ νόμοι ἐπιμελείσθω ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου τῶν νόμων, ὅπως ἂν αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται· τοὺς δὲ κυρουμένους τῶν νόμων ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖχον, ἵνα περ πρότερον ἀνεγράφησαν, σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ.* Verba, quae in hoc reperiuntur psephismate *οἵ δε ἠρημένοι* corrupta videntur: quorsum enim illud *δέ* pertinere possit, non apparet. Schoem. l. l. pag. 271 n. 49 siglum numerale sub illo latere suspicatur. Bergk. l. l. pag. 154 *οἱ δέκα ἠρημένοι* edidit, quae emendatio satis, quo se commendet, habet.

quo minus putemus, munus Nomothetas ita inter se partitos esse, ut aliis, quae civitatis administrationem, aliis quae sacras pectabant, describendarum legum munus esset. Leges, quae ad sacra faciunda pertinerent, ut ex §. 17 et sqq. colligitur, NICOMACHUS in se recepit; quam ob causam mirum sane videri vix potest, ANDOCIDEM *de Myst.* eius muneris non confecti mentionem nullam fecisse; huic enim tantum id ostendere in animo erat, legem *ἀγράφῳ δὲ νόμῳ τὰς ἀρχὰς μὴ χρῆσθαι μηδὲ περὶ ἑνός*, rite et lege praescripto more latam esse: parum igitur, utrum leges de sacris latae essent, nec ne, memorare conveniebat.

A reliquis Nomothetis inter iustum tempus munere confecto, NICOMACHUS in diem alias inscribens leges, alias expungens, munus traxit, donec tandem ab eo, cui LYSIAS hanc scripsit Orationem, quatuor quum explevisset (§. 4 et 5) annos, in ius est vocatus. Unde hanc Orationem Ol. 95 anno 2 habitam esse liquet, cf. BERGK. l. l. pag. 155. KRUEG. *ad Clint. fast. Hell.* p. 99. HOELSCH. l. l. pag. 113.

Priusquam autem huic disputationi finem inponimus, paucis verbis Franzii (1) opinionem refellere non abs re erit: dicit nempe, nulla discriminis, quod §. 2 inter et §. 4,

---

(1) *Diss. de Lys. Orat. Att. graece scripta.* pag. 8. *ἐπὶ Θεοπόμπου ἄρχοντος Ὀλ.* XCII, 2. *Λακεδαιμονίων Εὔβοιαν ἀποστησάντων, ἡγούμενοι μὲν ἀνήκεστα κακὰ πεπονθέναι Ἀθηναῖοι, τῶν δὲ πραγμάτων ἐπιτυχῶς ἀνθαπτόμενοι· ἄλλα τε πολλὰ ἐψηφίσαντο συμφέροντα τῇ πόλει τοὺς τετρακοσίους ἐξεληλακότες, καὶ τοὺς νόμους τοὺς Σόλωνος ἀναγράψαι Νικομάχῳ τινὶ παρέδοσαν. Προσταχθὲν δ' αὐτῷ τεσσάρων μηνῶν ἀναγράψαι τοὺς νόμους, ἀντὶ μὲν τῶν μηνῶν ἔτη ἴσα ᾠήθη δεῖν ἀναλῶσαι, ἀντὶ δὲ Σόλωνος ἑαυτὸν ἐτόλμησε νομοθέτην καταστῆσαι. Τοιγαροῦν ὁ λόγος ὁ κατ' αὐτοῦ συνεγράφη Δυσίᾳ Ὀλ.* XCIV *ὑπὸ τὸ τέλος τοῦ πρώτου ἔτους.*

ut supra disputavimus, locum habet, ratione habita, NICOMACHUM Ol. XCII anno 2 *νομοθέτην* delectum, pro 4 mensibus in totidem annos munus traxisse, igitur Orationem Ol. XCIV anni 1 sub finem habitam esse. Hanc ratiocinationem iam per se falsam esse, nemo non videt: si enim in 4 annos munus, Ol. XCII anno 2 acceptum, traxisset, Orationem Ol. XCIII anno 2 habitam esse necesse esset: fortasse autem tacite rationes, quas MARKLANDUS BREMIUSque, ut duos illos explerent annos, inierunt, probavit. Non tamen ullo modo fieri posse, ut Oratio Ol. XCIII, 2 aut Ol. XCIV, 1 habita probetur, loci supra allati, in quibus de tempore sub Triginta-viris, et de factis post EUCLIDEM Ol. XCIV, 1—2 Archontem, satis superque docent.

## §. 3.

### CAPITA ACCUSATIONIS. ACTIONIS SPECIES.

E superiori § disputatis, bis reum eodem functum esse munere consequitur, omnia ea, quae de priori munere disputat actor, non ad ipsum, cuius nunc iudicium est, referenda esse delictum, sed modo quasi introitum praesentis actionis causae memorari. Eiusmodi excursus de rebus antea gestis, et a praesenti causa quodammodo alienis, non tantum apud LYSIAM, sed apud reliquos quoque Oratores frequentes occurrunt. Coram Areopago tamen omne, quod non ipsam, de qua agebatur, causam et actionem spectabat, aut ad iudicum benevolentiam captandam, aut ad misericordiam commovendam compo-

situm, τὰ ἔξω τοῦ πράγματος (1) — memorare lege erat vetitum. Hi autem excursus plerumque non, ut in hac fit Oratione, initio, sed in fine orationis locum obtinebant. Universe animadvertendum est huius Orationis disputandi accusationemque exponendi rationem a caeteris Lysiae Orationibus paullulum esse diversam. Hic enim desideramus simplicem illam argumentorum exponendorum, quam in aliis v. c. *pro Caede Eratosthenis* et *in Eratosth.* admirari solemus (2), rationem: tota nempe Oratio magis in iis quae reum in se arguisse audiverat actor, refellendis, quum in ipsis accusationis capitibus explicandis versatur. Praeterea muneris bis gesti delicta ita inter se permixta atque confusa sunt, ut quae ad singula ista pertineant, diiudicare primo adspectu sit difficile. Disputatione autem de actionis historia praemissa, probabiliter ipsam orationem in duas partes dividere possumus.

I. Introitus.

II. Ipsa actio.

Prioris partis argumenta et accusationis capita haec sunt:

1. Diutius quam decebat, munus retinuit.

II. Muneris gesti non reddidit rationes.

III. Donis corruptus fraudulenter egit.

*a.* Legem, ut iis, qui novas res struebant, faveret, fictam, Solonis nomine protulit.

---

(1) Cf. Lys. *Apol. adv. Sim.* p. 163.

(2) Veterum scriptorum de Lysiae dicendi genere sententiam si quis cognoscere velit, adeat Dobs. *Orat. Att.* Edit. Vol. II. p. 91 sqq. ubi ipsi scriptorum loci allati sunt. Quibus addat Bernhardyum *Wiss. Synt. d. Griech. Spr.* p. 22. et ibidem annotationem. G. Stallbaum. in *Prolegom. ad* Plat. *Phaed.* p. I. et Groen van Prinsterer *Prosopogr. Platon.* p. 113 sqq.

*b.* Militiam detrectavit (1).

(1) h. l. memoranda est Bergkii opinio, l. l. p. 149. ubi Aristoph. *Ranar.* vs. 1078 sqq.

καΐτ' ἐκ τούτων ἡ πόλις ἡμῶν
ὑπὸ γραμματέων ἀνεμεστώθη
καὶ βωμολόχων δημοπιθήκων
ἐξαπατώντων τὸν δῆμον ἀεί

ita emendat, ut 1079 legatur:

ὑπογραμματέων ἀνεμεστώθη

et 1081 eiiciatur, quia Phrynichus in Bekk. *Anecd.* Tom. I. p. 34 iisdem verbis vocabulum *Δημοπίθηκος* circumscribat, unde probabiliter coniici posse; primum, ut vocabulum *Δημοπιθήκων* illustraret, a quodam in margine verba *ἐξαπατῶν τὸν δῆμον* addita esse, unde postea, addito *ἀεί*, ut vs. esset integer, in textu irrepserint.

Nimis autem temeraria Bergkii videtur opinio, Aristophanem his versibus Nicomachum respexisse. Scholiastam enim ad h. l. annotantem *ἀνεπληρώθη τῶν γραμματέων βουλομένων καὶ μὴ στρατεύεσθαι κ. τ. λ.* Lysiae verbis §. 26 *ἀλλ' ὅτι ὑμεῖς ἐκινδυνεύετε ἐκπλέοντες, οὗτος αὐτοῦ μένων τοὺς Σόλωνος νόμους ἐλυμαίνετο*, illustrari, ideoque his Nicomachum tangi versibus, parum est probabile: emendatio enim Bergkii, si probatur, de quo nemo, credo, dubitabit; Scholiastam versum hunc non intellexisse, ex ipsa annotatione satis manifestum puto.

Totam, ni fallor, nationem, ut ita dicam, subscribarum his versibus Aristophanes carpit; homines, non tantum vilis et plerumque servilis conditionis, sed saepe etiam malae fidei cf. Dem. *pro Coron.* 314. de F. L. 403 et 419. Lys. in hac Orat. §. 27 et 28. et §. 29 *ὑπογραμματεῦσαι μὲν οὐκ ἔξεστι δὶς τὸν αὐτὸν τῇ ἀρχῇ τῇ αὐτῇ*, quae verba etiam vereor, ut recte Bergk. l. l. p. 145 interpretatus sit, dicens, »Nicomacho non licere bis continuo eodem magistratus — subscribae — fungi." multo probabilior Boeckhii *Oec. Civ. Ath.* I, 203 interpretatio: »die unterschreiber durften nicht zweimal, das ist, nicht zwei Jahre nach einander, derselben Behörde dienen, sondern alle jahre ein anderer. Cf. Hefftter *de re Jud.* pag. 33.

Quorum delictorum iam ante Triginta-viros accusatus et in iudicium deductus, quominus poenam daret, PATROCLIDIS psephisma, paullulum ante Athenas a LYSANDRO captas, latum prohibuit, ut supra disputavimus.

Ipsius Actionis argumenta fere eadem, quae in priori parte, ipsis LYSIAE verbis (§. 4) citari possunt:

*πρῶτον μὲν τέτταρα ἔτη ἀνέγραψεν, ἐξὸν αὐτῷ τριάκοντα ἡμερῶν ἀπαλλαγῆναι.*

*ἔπειτα διωρισμένον ἐξ ὧν ἔδει ἀναγράφειν, αὐτὸν ἁπάντων κύριον ἐποίησεν.*

*καὶ ... μόνος οὗτος τῶν ἀρξάντων εὐθύνας οὐκ ἔδωκεν.*

*a.* largitione et luxu effecit, ut sacra patria ἄθυτα mansissent. *Μάρτυρες.*

*b.* de aerario furto multa abstulit.

Haec actio, ubi sit instituta, haud dubium esse potest: totius enim quaestionis caput in eo, quod reus rationes non reddidisset (1), versatur: quarum actionum *ἡγεμονίαν δικαστηρίου* Logistae habebant. cf. BEKK. *Anecd.* I, 309. Quorumdam sententiam NICOMACHUM *καταλύσεως τοῦ δήμου*, quas actiones Thesmothetae (2) introducebant, accusatum fuisse, minime admittendam, iam supra p. 25 memoravimus. Ipsa actio, qua quis reum, qui rationes non reddidisset, petebat, *δίκη* sive *γραφὴ ἀλογίου* dicebatur; quam actionis formam publicam fuisse, nemo dubitarit, quamquam a Grammaticis *δίκη* appellatur. Satis enim notum, eo sensu *δίκην* non modo de privatis sed etiam de publicis accusandi formis dici: *γραφή* autem nunquam de privatis usurpatur actionibus, ut POLL. VIII, 41. testatur: *ἐκαλοῦντο γὰρ αἱ γραφαὶ καὶ δίκαι,*

(1) Hefftter l. l. p. 377.

(2) Platner *Proc.* II, 2. Meier. et Schoem. de *Lits Att.* p. 159.

οὐ μέντοι καὶ αἱ δίκαι, γραφαί: vocabulum nempe δίκη ampliori sensu omnes complectitur actiones, quum publicas tum privatas, unde saepe apud Oratores etiam δίκας ἰδίας et δημοσίας v. c. Dem. in *Steph.* II, 1137. *pro Coron.* 298. in *Mid.* 522 et alibi, invenies.

De ipsa autem ἀλογίου actione parum nobis constat. Apud Oratores haec Oratio, quantum scio, unica est, ubi de hac actionis forma agitur. Et in testimoniis veterum Grammaticorum multa etiam desiderantur. Poll. VIII, 54. dicit: ἀλογίου δὲ δίκη ἦν κατὰ τῶν οὐκ ἀποδιδόντων λογισμούς, ὧν ἄν διαχειρίσωσιν, et VI, 153, ubi pro ἀλόγου κακώσεως legendum est ἀλογίου κακώσεως, ut recte interpretes monuerunt, memoratur. Suidas, Hesychius s. v. et Etym. M. 70, 35. ἀλογίου δίκη, ἣν φεύγουσιν οἱ ἄρχοντες λόγον οὐ δόντες τῶν τῆς ἀρχῆς διοικημάτων, — vix autem necesse puto animadvertere in hoc loco διοικήματα non solum *pecuniam in publicos usus expensam* sive *impensam*, ut Kust. ad h. l. et sub voce διοίκησις apud Hesych. annotavit, sed omnes res gestas, sive cum pecuniae administratione coniunctas, sive sine illa, significare (1). — praeter locos citatos haecce actio reperitur in Bekk. *Anecd.* I, 336 et 436 ubi Eupolis citatur fragmentum »καὶ γὰρ αἰσχρὸν ἀλογίου τι ὀφλεῖν.«

Cuius esset hanc instituere actionem, quamquam certo scire nequimus, nihil tamen, quominus statuamus, unicuique civium, ut in reliquis actionibus de munere male gesto instituendis, post praeconis τῶν λογιστῶν solennem τίς βούλεται κατηγορεῖν (2) interrogationem, prohibere

(1) Cf. Harpocr. et Suidas s. v. εὐθύναι. Boeckh, *Oec. Civ.* I, 204.

(2) Aesch. in *Ctesiph.* p. 374.

puto, aliquem ἀλογίου, id est τῶν πεπραγμένων rationes non reddidisse, accusare licuisse, neque pro certo affirmari potest, utrum haec lis ἀγῶνας τιμητούς inter an ἀτιμητούς (1) sit referenda (2). Verisimilius autem mihi videtur haec lis, ut γραφὴ παραπρεσβείας (3), aestimanda: ut nempe, in delicto legationis male obitae multa, quae facinus gravius leniusve facerent, evenire potuerant, nihilominus hoc ἀλογίου reo non accidisse nequibat: praeterea quae accusator §. 23 dicit ἐὰν δὲ καταψηφισάμενοι τῶν ἐσχάτων αὐτῷ κ. τ. λ. et §. 25 potius videantur propositum, quam poenam lege constitutam indicare.

Caeteroquin iudicandi rationem eandem, atque in reliquis, apud Logistas instituendis actionibus, fuisse coniici potest.

Hoc loco legem de iis, qui ὑπεύθυνοι i. e. rationibus reddendis obnoxii essent, memorare non abs re erit.

Citantur nempe apud Aesch. *in Orat. in Ctesiph.* p. 373 legis verba: καὶ τοὺς ἐπιστάτας, κελεύει scil. ὁ νόμος, τῶν δημοσίων ἔργων, καὶ πάντας, ὅσοι διαχειρίζουσί τι τῶν τῆς πόλεως πλέον ἢ τριάκοντ' ἡμέρας, καὶ ὅσοι λαμβάνουσιν ἡγεμονίας δικαστηρίων καὶ λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς. Vid. de hac lege Petit. *Legg. Att.* l. III. tit. II. pag. 306.

Hac igitur lege constitutum erat illi solum, qui plus triginta diebus rem aliquam publicam administrasset, ra-

---

(1) De litibus τιμητοῖς et ἀτιμήτοις vid Heraldi *animadv. in* Salmasii *Observ. in Jur. Att. et Rom.* III, 2 sqq. Meier. de *Bon. Damn* p. 152 sqq.

(2) *De Lite Att.* p. 363.

(3) Cf. Suid. s. v. εὐθύνη .... καὶ τοῖς δικασταῖς ἐφεῖται τιμᾶσθαι τοῖς ἁλοῦσι. Harpocr. sub voce ἀτίμητος ἀγὼν καὶ τιμητός. Dem. de F. L. p. 373. Meier. *de Lite Att.* l. l.

tiones esse reddendas. NICOMACHUM ergo propterea, quod modo triginta operi perficiendo sibi assignati erant dies, rationes non reddidisse, BERGKIUS l. l. p. 155 suspicatur; haec autem lex, ni fallor, ad NICOMACHUM minime pertinet. Mirum revera esset, si Athenienses, quos suos satis suspectos habuisse magistratus nemini incognitum, tali munere fungi alicui *ἀνυπευθύνῳ* concessissent, nisi aliis legibus ita esset obstrictus, ut reipublicae nocere vix posset. NICOMACHO etiam mandatum sacrorum legum describendarum munus ita stricte definitum erat, ut (§. 4) *διωρισμένον* esset *ἐξ ὧν ἔδει ἀναγράψειν*, praeterea (1) intra mensis spatium Magistratibus (2) leges essent tradendae; et, ut in ipso est psephismate: *τοὺς παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι, οὓς οἱ δημόται εἵλοντο, ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν.* AND. *de Myst.* p. 40. His si obedivisset reus, *εὐθύνας διδόναι* revera supervacuum esset, quia ipse Senatus et Nomothetarum quingentorum *δοκιμασία* obnoxius esset. His autem neglectis, *ἁπάντων* sese *κύριον* fecit, neque ut leges explorarent illis opportunitatem dedit magistratibus, et ipse in quatuor annos munus traxit. Eum igitur accusare si quis vellet, *ἀλογίου γραφήν* instituere necesse erat, quod rationibus non redditis, leges sua auctoritate in Civitatem induxisset (3).

---

(1) In superiori §. Nicomachum in eorum numero, qui hocce psephismate creati sunt Nomothetae, fuisse disputavimus, quod ipse Bergk. pag. 153 probat.

(2) Hi Magistratus viginti illi viri erant, quibus Reipublicae administratio erat mandata, donec ordinarii creati essent Magistratus. Cf. Xenoph. *Hell.* II, 4 in fine.

(3) Has a Nicomacho scriptas leges, iam per duos certe annos viguisse, ex eo, quod actor §. 21 queritur, reum largitione in sacris celebrandis adhibita, biennio duodecim talentis ultra quam oportebat civitatem mulctasse, videre licet.

## §. 4.

### DE LOGISTIS ET EUTHYNIS.

De magistratibus, Logistis scilicet et Euthynis, penes quos actio est instituta, dicere lubenter omisissem, nisi cum nostro argumento quaestio coniunctior esset, quam ut silentio praetermitteretur. Nostra enim aetate haec antiquitatis pars virorum Literarum veterum et antiquitatis principum controversia (1) adeo accurate in utramque partem est tractata et ab aliis Viris Doctis (2) exposita, ut fere nihil, quo horum magistratuum illustraretur munus, intactum, aliisque ad elaborandum relictum esse videatur. Haec igitur quum ita sint, ne quis me de

(1) Cf. Boeckh. *Oec. Civ. Ath.* Vol. I p. 203—207 porro liber, qui inscribitur: » Ueber Herrn Professor Böckhs behandlung der Griechischen inschriften von Gottf. Hermann. Leips. 1826. 8°. Cui censurae Boeckhius respondit in *Museo Rhen Hist. Phil.* 1827. parte II pag. 39—107.

(2) Inprimis nominandi sunt:

C. Sigonius *de Rep. Athen.* l. IV c. 3.

F. W. Tittmann *Darstell. der Griech. Staatsverfass.* p. 323 sqq.

A. W. Hefftер, *die Athenais. Gerichtverf.* p. 374 sqq.

M. H. E. Meier und G. F. Schömann. *der Att. Process.* p. 215 sqq.

E. Platner. *Process. und Klagen b. d. Attikern.* Vol. I p. 341 sqq.

P. van Lelyveld, *περὶ ἀτιμίας*, pag. 202 sqq.

K. F. Hermann. *Lehrb. der Griech. Alterth.* §. 154.

G. F. Schoemannus, *Antiq. J. Publ. Graecorum*, p. 240 sqq.

bis novi quid expositurum exspectet. Hoc enim solum mihi propositum est, quae a Viris Doctis de hac quaestione disputata sunt, quaeque hanc in NICOMACHUM Orationem illustrare possent, colligere. Caetera si quis scire velit libros laudatos ipse adeat. Primum autem probationes et censuras, quibus Magistratus obnoxii erant, breviter exponere, fortasse non supervacuum erit.

Triplici modo Athenis populo licitum fuit, de Magistratibus suis suffragia ferre, in *δοκιμασίᾳ*, in *ἐπιχειροτονίαις*, et in *εὐθύναις*.

*Δοκιμασία* a SOLONE (1), ut videtur, instituta, ab omnibus exigebatur magistratibus delectis, ut POLL. VIII. 44 *δοκιμασία δὲ τοῖς ἄρχουσιν ἐπηγγέλλετο καὶ τοῖς κληρωτοῖς καὶ τοῖς αἱρετοῖς εἴτ' ἐπιτήδειοί εἰσιν ἄρχειν εἴτε μή* (2). Unicuique quidem creato sive sortito magistratui propter morbum, aliasque causas munus sibi mandatum recusare, quod *ἐξόμνυσθαι τὴν ἀρχήν* vocabatur, licitum fuisse, ex AESCHIN. *de F. L.* p. 40, *Steph.* et DEM. *de F. L.* p. 378 et 379 cognitum est (3): quod si non factum erat, illis in Senatu (4) censura — *δοκιμασία* — erat subeunda. Ut probarentur, praecipue requirebatur, designatos magistratus parentibus debita praestitisse pietatis officia: militia functos esse: Deos colere paternos: tributa solvisse (5): aliaque huius generis, quae morum

(1) Demosth. *in Lept.* p. 484. Cf. Platner. *Proc.* I. 319.

(2) Cf. *Lex. Seguer* I. 235. s. v. *δοκιμασία . . . . εἰ ἐπιτήδειοί εἰσι προϊστασθαι τῶν πολιτικῶν πραγμάτων.*

(3) Harpocr. in *ἐξωμοσία* ad quem locum cf. Vales. annotatio.

(4) *De Lite Att.* p. 202 n. 74.

(5) Dinarch. *in Aristog.* p. 86 *ἀνακρίναντες τοὺς τῶν κοινῶν τι μέλλοντας διοικεῖν, τίς ἐστι τὸν ἴδιον τρόπον, εἰ γονέας εὖ ποιεῖ, εἰ τὰς στρατιὰς ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐστράτευται, εἰ τὰ ἱερὰ πατρῷά ἐστιν, εἰ τὰ τέλη τελεῖ*: pro *ἱερὰ* Vales.

vitaeque integritatem atque probitatem spectabant, minus autem tali in probatione de Magistratuum designatorum doctrina et muneris ei oblati peritia sermo fuisse videtur; fortasse ea munera, in quibus peritia ac doctrina non exigebatur, quod tacite, ni fallor, indicat ARISTOTELES (1), olim solum sorti committebantur (2): postea autem etiam eos sortitos fuisse Magistatus, quibus morum integritas non sufficiebat, ut muneribus oblatis apte ac commode fungerentur, ex acerba SOCRATIS ironia XEN. *Mem.* l. I. 2 §. 9 sq. videndum est. Huius etiam probationis requisita non omnibus eadem erant, Archontibus v. c. duplex erat subeunda probatio, prior in Senatu, altera in iudiciis, a quibus etiam, ut ostenderent Civitatem antiquam — *ἐκ τριγονίας* — exigebatur (3). Quibus requisitis nisi probe respondissent, vel si quis civium eum, qui examinabatur, aliquam ob causam, v. c. propter alium eodem anno magistratum gerendum, aut propter rationes alius magistratus gesti nondum redditas, aut ob aliam quamcumque

---

ad Harpocr. pag. 88 *ἠρία* legere voluit, quam emendationem minus necessariam ostenderunt Wurm. in Dinarch. p. 175 sq. Schoem. *Ant. J. Publ. Gr.* p. 228 n. 3. Cff. Wachsm. *Ant. Hell.* Vol. I p. 262 et loci ibi citati. In *Lite* autem *Att.* pag. 203 n. 75 a Meiero *εἰ τὰ ἠρία πατρῷα* tanquam vulgaris edita est lectio, quae lectio fortasse Xen. *Mem.* Lib. II c. 2 §. 13, ubi de Magistratuum *δοκιμασίᾳ* sermo est, confirmatur.

(1) Arist. *Pol.* VI. 1, 8. *κληρωτὰς εἶναι τὰς ἀρχὰς ἢ πάσας ἢ ὅσαι μὴ ἐμπειρίας δέονται καὶ τέχνης.*

(2) Cff quae de antiquo sortiendi more animadvertit Bergman *in Comm. ad* Isocr. *Areop.* p. 142 Ed. Cor.

(3) Quae tamen lex postea obsoluisse videtur, cf. Dem. in *Neaer*, 1376. Schoem. *Ant. J. Publ. Gr.* p. 192 n. 11, ubi etiam citatus est Meier. *de Bon. Damn.* p. 59. Similiter ante Aristidem census requirebatur. De duplici Archontum probatione cf. Tittmann. l. l. p. 321.

causam indignum esse munere argueret, causam a Thesmothetis in iudicium deferebatur (1). In quibus, si reprobarentur, ἀποδοκιμασθῆναι — magistratum non modo non accipiebant, sed pro parte ἄτιμοι fiebant (2) aliusque subrogatus, cui tamen eadem subeunda erat δοκιμασία, in eorum locum succedebat; qui probati erant, statuto tempore magistratus inibant.

Ii etiam, in δοκιμασίαις probati Magistratus, ne suo arbitrio munere fungerentur, lege cautum erat. Nam prima cuiusque Prytaniae concione — quae κυρία vocabatur —, a novem Archontibus populus interrogabatur; num qui e magistratibus ita graviter in muneribus administrandis peccassent, ut iis magistratus esset abrogandus (3). Non tamen videtur populus in hac concione de omnibus magistratibus suffragium tulisse, sed modo, si quis esset, qui aliquem criminaretur: de reliquis nullam fuisse ἐπιχειροτονίαν (4), ut vocabatur illa menstrua censura, verisimile est. Unusquisque civium igitur, qui iniuriam a Magistratu aliquo passus erat, aut qui magistratum quemdam contra rempublicam deliquisse argueret, eum coram populo accusare poterat. Quae accusationes si probarentur, reus a magistratu movebatur — ἀποχειροτονεῖν — (5). Postea

---

(1) Poll. VIII. 88. οἱ μὲν θεσμοθέται . . . . εἰσάγουσι καὶ δοκιμασίαν ταῖς ἀρχαῖς. Cf. Petit. *Legg. Att.* pag. 306, porro Sigon. *de Rep. Athen.* l. IV c. 8.

(2) Cf. Platner. *Proc.* Vol. I p. 328, Schoem. *de Com.* pag. 329.

(3) Poll. VIII. 87, cf. Harpocr. et Suid. in voce κυρία.

(4) Cf. Schoem. *de Com.* p. 231. operae est pretium conferre, quae disputat Schoem. l. l. p 229 et Platner. *Proc.* Vol. I. 332 de quaestione, utrum aliquis magistratum propter delictum quoddam in munere administrando commissum sine populi venia accusare potuerit, nec ne.

(5) Dem. in *Theocr.* p. 1330.

actori licuit, contra eum, magistratu privatum, actionem in iudicio persequi, cuius iudicii Thesmothetae *ἡγεμονίαν δικαστηρίου* habebant, ut Poll. l. l. *τὸν δ' ἀποχειροτονηθέντα κρίνουσιν*, indicat. Ei autem, cui a populo in *ἐπιχειροτονίᾳ* magistratus erat abrogatus, quique postea, iudicio convocato, iudicum sententiis absolutus esset, statim eodem fungi magistratu licuit, ut verba Harpocr. s. v. *πολιναίρετος*, testari videntur (1).

Ad hanc etiam singularum primae concionis Prytanearum censuram referendum est, quod actor in Nicomachum §. 5 dicit, *ἀλλ' οἱ μὲν ἄλλοι τῆς αὐτῶν ἀρχῆς κατὰ πρυτανείαν λόγον ἀναφέρουσι κ. τ. λ.* quorum verborum sensum mirum in modum Heffterus *de Re Jud.* p. 375 n. 20 turbat, quum putat, Lysiam 30 illos dies, intra quos, magistratu deposito, teste Harpocr. *λόγον διδόναι* apud Logistas necesse erat, significasse.

Leges de *δοκιμασίᾳ* et *ἐπιχειροτονίᾳ κατὰ πρυτανείαν*, quam stricte Magistratuum Atheniensium definita esset potestas atque auctoritas, indicant; magis autem hoc testantur rationes, quae singulis Magistratibus (2) quotannis intra 30 dies (3) post finitum magistratum, apud Logistas reddendae erant. Nullus magistratus hac necessitate non erat obstrictus, praeter eos, qui, ut supra vidimus, non ultra 30 dies res administraverant publicas, et Heliastas, ut ex citato Aristoph. versu patet, quod sane mirum videri nequit, quia Heliastarum proprie non erat *munus*, *quippe qui universi populi personam sustineant.* Cf. Reisk. *in Ind.* Dem.

---

(1) Cf. Platner. *Proc.* Vol. I. p. 331.

(2) Aeschines in *Ctesiph.* p. 56 *Steph.* *ἔστιν οὐδεὶς ἀνυπεύθυνος τῶν καὶ ὁπωσοῦν πρὸς τὰ κ ινὰ προσεληλυθότων.* Aristoph. *Vesp.* vs. 585, *καὶ ταῦτ' ἀνυπεύθυνοι δρῶμεν, τῶν δ' ἄλλων οὐδεμί' ἀρχή.* Cf. Hudtw. *de Diaet.* p. 32.

(3) Harpocr. in voce *λογισταί*, Poll. VIII. 45.

in voce ἡλιαία. Quoniam igitur eorum munus, quorum erat rationes accipere, latens ac grave esset, singularis ad hoc ipsum institutus erat magistratus: quotannis nempe 10 Λογισταί, totidemque Εὔθυνοι sorte creabantur, quibus 20 addebantur Πάρεδροι (1): locus, ubi conveniebant, vocabatur Λογιστήριον, quae plura fuisse ex Harpocr. in λογισταί et AND. *de Myst.* p. 37 in supra memorato PATROCLIDIS psephismate constat.

Quomodo hi inter se diversi fuerint, quod discrimen HARPOCR. ab ARISTOTELE in *Ath. Rep.* traditum fuisse profitetur, perspicue a BOECKHIO l. l. illustratum et vindicatum est. Logistae erant principes rationum accipiendarum magistratuum collegii, apud quos λόγους sive λογισμούς reddere necesse erat, quos si probabant, neque ullus civis, quod intra statutum tempus — POLL. VIII. 45, triginta dies ut HARP. l. l. tradit, — fieri debuit (2), accusationem detulisset, inscriptione — ἐπισημαίνειν —

(1) Harp. et Suid. s. v. λογισταί et εὔθυναι, Phot. in v. εὔθυνος addit e singulis tribubus unum sortitum fuisse Euthynum. Sententiam, quam Boeckh. *Oec. Civ.* I. 105 defenderat, Logistas a Senatu creatos fuisse, eosque pro arbitrio Euthynos sibi elegisse — Cf. Poll. VIII. 99 et 100 — ipse in *Mus. Rhen.* l. l. pag. 78 revocavit, Segm. enim Poll. l. l. cum antecedenti in quo de scribis est sermo, coniungendum esse, dubium nullum est: et Segm. 100 cum Meiero *in Lite Att.* p. 100 legendum οἱ δὲ Εὔθυνοι, οἷς, ὥσπερ τοῖς ἐννέα ἄρχουσι πάρεδροι προσαιροῦνται, οὗτοι δ' εἰσπράσσουσι καὶ τοὺς ἔχοντας (quae verba, cum aliquod abesse manifestum sit, Phavorinus τι τῶν δημοσίων addens probabiliter explevit), cf. Petit. *Legg. Att.* II, VI. Vid. porro de his Poll. locis G. Hermann in Censura laud. p. 220 *de Lite Att.* p. 100, *Mus. Rhen.* p. 98, Hermanni *Comp. Ant. Gr.* §. 154 n. 9, Schoem. *Ant. J. Publ. Gr.* p. 240 n. 5.

(2) Tempus hocce autem aliquando fuit dilatum vid. Platn. *Proc.* Vol. I. 406.

signabant; si autem minus iustae invenirentur, aut aliquis accusator existeret, rationes ut diligenter examinarent accurateque excuterent Euthynis assessoribusque tradebantur; quo facto reum rationes ac defensiones — *εὐθύνας διδόναι* — proferre necesse erat. Memoranda est sententia Schoemanni *Ant. J. Publ. Graec.* p. 240. n. 2. putantis, inprimis pecuniae administrationis rationes esse reddendas, reliquosque magistratus nihil nisi hoc retulisse *ὅτι οὔτ' ἔλαβον οὐδὲν τῶν τῆς πόλεως οὔτ' ἀνήλωσαν* (1); quod addit Schoem. l. l. huiusmodi rerum actarum in magistratu rationem non perscriptam neque ad Logistas relatam, sed tum demum, si accusator exstitisset, in iudicio redditam fuisse, hoc ipso, quod Aesch. l. l. paullulum ante dixerat p. 56 in fine, si quis esset, qui pecuniam publicam neque accepisset neque expendisset, *καὶ τοῦτον ἀποφέρειν κελεύει* scil. *ὁ νομοθέτης — λόγον πρὸς τοὺς λογιστάς*, refutatur. Hoc etiam scripto consignatum factum fuisse, ut reliquorum, qui pecuniam administraverant publicam magistratuum rationes, eiusdem Oratoris verba Or. laud. p. 57 in initio *κελεύει γὰρ αὐτὸ τοῦτ' ἐγγράφειν, ὅτι οὔτ' ἔλαβον οὐδέν κ. τ. λ.* demonstrant.

Si igitur rationes a Logistis non approbarentur, neque accusationem, ab aliquo civium delatam, tollere reus potuisset, caussa a Logistis, qui *ἡγεμονίαν δικαστηρίου* habebant (2), in iudicium deducebatur, in quo unus e Synegoris accusabat (3). Unicuique autem civium *εὐθυνῶν*

(1) Aesch. *in Ctesiph.* p. 57 *Steph.*, cf. Petit. *Legg. Att.* p. 307. Contraria autem est sententia Boeckh. l. l., Platn. *Proc.* Vol. I. p. 241, Meieri *de Lite Att.* p. 219.

(2) *Lex. Seguer.* p. 309 *οἱ λογισταὶ τὰς εὐθύνας ἁπάσας εἰσῆγον.* Dem. *pro Coron.* p. 266 de *F. L.* p. 406.

(3) *Lex. Seguer.* p. 301, vid. Boeckh. *Oec. Civ.* I p. 107. Schoem. *de Com.* p. 108, *Mus. Rhen.* l. l. p. 85.

actionem instituere licitum fuisse, ex solenni praeconis declamatione *τίς βούλεται κατηγορεῖν* (AESCH. Or. l. p. 57) perspicuum est. Caeterum rationem iudicandi in *εὐθύναις* eandem fuisse quae in aliis viguerit iudiciis, ex Orationibus in *εὐθύναις* habitis constat. Memorandus porro est locus AESCH. *Orat. l.* p. 56, unde discimus, nulli magistratui, priusquam hanc solennem subiisset censuram, licuisse vel peregre proficisci, vel bona sua Deo alicui consecrare, neque adoptari, neque testamentum facere; *ἐνὶ δὲ λόγῳ*, ut addit AESCH. *ἐνεχυράζει τὰς οὐσίας ὁ νομοθέτης τὰς τῶν ὑπευθύνων ἕως ἂν λόγον ἀποδῶσι τῇ πόλει* (1).

## §. 5.

### DE SCRIBARUM MUNERE, ATQUE CONDITIONE APUD ATHENIENSES.

Ut hae supra expositae rationes — *λόγοι* et *εὔθυναι* — accurate fierent, Euthynis succurrebant scribae, quorum permagnus Athenis erat numerus. Omnes enim magistratus suum habebant *γραμματέα*, qui acta aut pecuniam publicam acceptam et expensam notabat: praeter quem plerique etiam *ἀντιγραφέα* habebant, acceptorum et expensorum documenta et exempla servantem. Memorantur

(1) De peculiari Diaetetarum rationum referendarum modo omnino conferendus est Hudtw. l. l. a pag. 19—32.

v. c. Thesmothetarum (1), Archontum (2), Undecimvirorum, — quibus ipse annumerabatur γραμματεύς, erant enim decem, e singulis tribubus singuli (3) — emporii curatorum (4), Poristarum, Poletarum et Practorum (5) scribae: ita ut nullus vel maior vel minor esset magistratus, cui γραμματεὺς sive ὑπογραμματεὺς sive ἀντιγραφεύς, publice aut privatim constitutus non adesset; verisimile autem puto, Magistratus minores sibi pro arbitrio sumsisse scribas, maiorum autem, Thesmotheta rum v. c. et Nomothetarum, si illis eos sibi elegendi ius esset, scribas in senatu, aut, ut Poll. VIII. 92. de Archontum scriba tradit, in iudicio approbandos fuisse. Horum scribarum parum honestum fuisse munus, iam supra obiter attigimus. Erant enim si liberi, ex infima plebe, ut Demosth. multis locis Aeschini exprobrat *de Cor.* p. 369. σπερμολόγος, περίτριμμα ἀγορᾶς, ὄλεθρος γραμματεύς, et p. 314. eum, ait, ὑπογραμματεύειν καὶ ὑπηρετεῖν τοῖς ἀρχιδίοις, de F. L. p. 371. πανοῦργος οὗτος, καὶ θεοῖς ἐχθρὸς καὶ γραμματεύς, cff. porro p. 408 et 419. eiusdem Orat. quia, ut Libanius *in Argum. Or.* dicit, Aeschines γραμματεὺς fuit τῆς πόλεως, ἥτις ἦν εὐτελὴς ὑπηρεσία. Vid. Wessel. ad Petit. LL. AA. p. 342. Plerique autem qui horum scribarum fungebantur munere, δημόσιοι, servi publici, fuisse videntur (6). Non sine causa potius servis publi-

---

(1) Antiph. *de Chor.* p. 782.

(2) Poll. VIII. segm. 92.

(3) Poll. VIII. 102.

(4) Dem. *in Theocr.* p. 1324.

(5) Antiph. *de Chor.* p. 792.

(6) Cf. Dem. *de Chers.* p. 101. et *Philipp.* IV. p. 137. Lex. Seguer. I. p. 197. Wolf. *ann. ad* Dem. *Lept.* p. 506. porro Sigon. *de Rep. Ath.* IV. 3. Meurs. LL. AA. VI.

cis, quam liberis hominibus commisisse hoc munus Athenienses, tradit Ulpianus ad Dem. *ἵνα, διὰ τοῦ δύνασθαι τούτους τύπτειν ὡς δούλους, ἔχωσι μανθάνειν τὸ ἀληθές* (1). Erat enim Scamandrii decreto, ut videtur, interdictum ne quis civium tormentis subiiceretur: quam ob rem Pisander in Orat. And. *de Myst.* p. 22. illud psephisma tollendum suadet, ut delatos *ἐπὶ τὸν τροχὸν ἀναβιβάζειν* licitum esset, cf. Lys. *in Agor.* p. 462. Meier. de *B. Damn.* pag. 53, De *Lite Att.* p. 684. Nonnulla autem exempla quae huic sententiae repugnare videntur, sese offerunt, quamquam iis, si accuratius inspiciuntur, nihil, credo, difficultatis inest. Primum exemplum hoc est, apud Antiph. in *Accus. Venef.* p. 615. mulier ista concubina *τῷ δημοκοίνῳ τροχισθεῖσα* tradita fuisse narratur; iure tamen dubitatur, an ista civis fuerit Attica: quae si fuerit, nihil, quominus hoc loco poenam habendam esse, statuamus, prohibet. Ex aliis locis, tormentum inter ipsas ponendum esse poenas, satis constat, v. c. Lys. in *Agor.* p. 478. Plut. in *V.*

---

25. Spanhem. *de Usu et Praest. Numm.* p. 704. Biagius *de Decr. Athen.* Cap. XIII. p. 158 — 162.

(1) Ulpian. ad *Olynth.* II. (Dobs. Ed. Tom. X. p. 29.) *δούλους εἶχον δημοσίους οἱ Ἀθηναῖοι ἀπὸ αἰχμαλώτων ποιήσαντες, καὶ ἐδίδασκον τούτους γράμματα, καὶ ἐξέπεμπον αὐτοὺς ἐν τοῖς πολέμοις μετὰ τῶν ταμιῶν καὶ τῶν στρατηγῶν, ἵνα ἀπογράφοιεν τὰ ἀναλισκόμενα· οὐκ ἀκαίρως δὲ τοῦτο ἐποίουν, ἀλλ' ἵνα διὰ τοῦ δύνασθαι τούτους τύπτειν ὡς δούλους, ἔχωσι μανθάνειν τὸ ἀληθές, αἰσχρὸν γὰρ ἐνομίζετο παρὰ Ἀθηναίοις ἐλευθέρους τύπτειν.*" frequentes sunt loci apud Orat. e quibus patet, Atheniensibus multo magis valuisse testimonia et indicia, quae servi, tormentis coacti, detulissent, quam ingenuorum iuraiuranda; vide quos citat Hudwalck, *de Diaet.* p. 51. causamque apud Antiph. *de Chor.* p. 778 invenies.

*Niciae* p. 542 in fine et in *V. Phocion.* p. 758. init. F. Alter locus est apud eundem ANTIPH. de *Caed. Herod.* p. 729: ubi disertis verbis dicitur, liberum quemdam tormentis, ut indicium proferret, laceratum fuisse: difficile autem de hoc loco iudicare, quia, utrum ex Mitylena, an ex alia regione, iure Atheniensium civitatis non gaudente esset, incognitum est. Vid. BOECKH. *Oec. Civ.* Vol. II. p. 412. Praeterea Athenienses aliquando inquilinos, quamquam liberos, nullo vetante decreto, torqueri passos esse, iam MEIER. et SCHOEM. de *Lite Att.* p. 685, LYS. in *Agor.* p. 461 et 462. citantes, animadverterunt. Tertius denique locus apud LYS. *adv. Simon.* p. 153. invenitur, ubi, cum de THEODOTO Plataeensi agitur, defendens dicit: *ἐπικουρῆσαι μέν μοι οὐκ ἂν ἠδύνατο, μηνῦσαι δὲ ἱκανὸν ἦν βασανιζόμενον, εἴ τι ἐγὼ ἐξημάρτανον.* Plataeenses autem Ol. LXXXVIII. anno 2 in civium dignitatem receperunt Athenienses cf. THUC. II. 73. ISOCR. *Panath.* p. 251. (1) et Orationem hanc ante Ol. XCVI. annum 4 non fuisse habitam, satis lucide ex §. 45 patet (2). Quapropter BOECKH. *Oec. Civ.* Vol. I. 199 REISKII ad h. l. respuens interpretationem, hoc exceptione quadam factum esse statuit; recte tamen a MEIERO de *B. D.* l. l. eiusmodi exceptionem numquam in aliis criminibus, nisi maiestatis et perduellionis, et ne tum quidem nisi iubente Plebiscito reperiri, animadvertitur: quare magis verisimile est cum viro illo egregio statuere, THEODOTUM istum, non inter Plataeenses, iure Atheniensium donatos, fuisse, sed e numero Plataeensium Boeotiorum: neque omnes hoc gavisos esse iure ex DEM. in

(1) Vid. Doct. Moll. *diss. l.* p. 27. et scriptores ibi collecti.

(2) Vid. Krueg. ad *Clint. F. H.* p. 105. Meier. *de B. D.* p. 53. Hoelscher. l. l. p. 55.

*Neaer.* p. 1381. in *Lite Att.* p. 686. n. 93. cit. videre licet.

De reliquis scribis, quod impedita quaestio est, nec multum ad NICOMACHI causam pertinet, nunc disserere omitto.

## §. 6.

### DE SOLONIS LEGUM CONSERVATIONE.

Quum Oratio, quam illustrare nobis est propositum, praecipue in eo, quod reus SOLONIS leges, cum quae Rempublicam administrandam, tum quae sacra celebranda spectabant, mutilasset, versetur, iure, ut quaedam de illarum legum conservatione notemus, requiritur. De ratione tamen et indole SOLONIS legum disputare non est huius loci (1), neque causas, quae effecerunt, ut DRACONIS antiquarentur leges severissimae (2), sanguine, ut ait PLUT. potius quam atramento exaratae, *μία γὰρ ὀλίγου δεῖν ἅπασιν ὥριστο τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία, θάνατος· ὥστε καὶ τοὺς ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν, καὶ τοὺς λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώραν, ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις* (3), neque contentiones plebem inter et

(1) Cf. ea de re Wachsm. *Ant. Hell.* Vol. II. 1. p. 198—238. Hermann. *Comp. Ant. Gr.* § 106—109. Schoem. *Ant J. Publ. Gr.* p. 173 sqq.

(2) Cf. Aul. Gell. *N. Att.* XI. 18. § 4. » Eius (Draconis) igitur leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decrete iussoque, sed tacite illiteratoque Atheniensium consensu obliteratae sunt."

(3) Plut. in *V. Solon.* p. 87. F.

optimates e piaculo CYLONIO, quo Alcmeonidae tenebantur, ortas, memorare necesse est (1). Nunc tantum animadvertere sufficiet, SOLONEM, quum Athenae tribus partibus Diacriorum, qui populari favebant imperio, Pediacorum, optimatium potestatem atque auctoritatem tueri cupientium, et Paraliorum, *μέσον τινὰ καὶ μεμιγμένον πολιτείας τρόπον* appetentium (2), erant agitatae, reique publicae status fere perditus erat, ad summum pervenisse magistratum, eique ad rem publicam ordinandam, partiumque contentiones componendas legum ferendarum munus oblatum fuisse. Quam potestatem ita adhibuit, ut, oppressa multitudine aeris alieni difficultate per *σεισάχθειαν* (3) liberata, summam rempublicam penes populum constitueret, i. e. ut omnes uterentur iure suffragii de legibus latis, de creandis explorandisque Magistratibus, deque causarum publicarum et privatarum iudiciis. Civilia aequavit iura, cunctosque legibus scriptis subiecit. Has leges latas in centum valere annos iussit (4). Universum quidem iusiurandum senatus iurabat, SOLONIS leges ratas se habituros esse, peculiare vero unusquisque Thesmothetarum *ἐν ἀγορᾷ πρὸς τῷ λίθῳ*, si aliqua in re leges neglexisset aut violasset se statuam auream aequo pondere Delphicae dedicaturum esse: additque PLUT. *καὶ κατεγράφησαν εἰς ξυλίνους ἄξονας, ἐν πλαισίοις περιέχουσι στρεφομένους ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο καὶ προσηγορεύθησαν, ὡς Ἀριστοτέλης φη-*

(1) Vid. Hermann. l. l. § 103—106. Schoem. *Ant. J. Publ.* p. 160—173.

(2) Plut. in *V. Solon.* p. 85. F.

(3) Per *σεισάχθειαν* i. e. aucto pecuniae nummatae pretio, quo effici necesse erat, ut minore pecuniae summa debita solvere possent obaerati.

(4) Plut. l. l. p. 92. F.

σὶ κύρβεις — Ἔνιοι δέ φασιν ἰδίως ἐν οἷς ἱερὰ καὶ θυσίαι περιέχονται κύρβεις, ἄξονας δὲ τοὺς ἄλλους ὠνομάσθαι· Primum animadvertendum est, PLUT. axones, quibus leges insculptae essent, ligneos fuisse testari, quocum HARPOCR. et SUIDAS in voc. et LEX. SEGUER. p. 204 et 413 conveniunt. POLLUX contra VIII. 128. eos aeneos fuisse tradit. Qunm tamen PLUTARCHI tempore reliquiae quaedam superstites fuisse videantur, parum credibile est ex simplici ligno exstructos fuisse eos axones, unde fortasse scriptorum dissensus explicandus est, si has ligneas tabulas gypso vel simili materia, ut vetustati resisterent, illitas fuisse statuamus (1); cui sententiae SUIDAS (2) non repugnare videtur. Eodem modo POLL. l. l. κύρβεις aeneos, HARPOCR. lapideos fuisse testatur (3). Etiam forma inter se diversos fuisse omnes praeter HESYCHIUM — ἄξονας et κύρβεις confundentem — indicant. Axones scilicet quadrati erant, quorum quatuor parietibus leges erant insculptae, κύρβεις triquetri, πυραμοειδεῖς, in Pyramidum formam instructi. Neque leges pro arbitrio his aut illis inscriptae tabulis fuerunt (4). AXones, ut disertis verbis tradit POLL. l. l. eas modo leges, quae rempublicam spectabant, publicas et privatas continebant, κύρβεις leges, ad cultum Deorum et sacrificia pertinentes; quamquam, ut ex PLUT. l. modo cit. colligimus, ARISTO-

(1) Vid. Biag. de *Decr. Ath.* Cap. XXVIII. p. 347.

(2) In voc. λεύκωμα, τοῖχος γύψῳ ἀλειμμένος πρὸς γραφὴν πολιτικῶν πραγμάτων ἐπιτήδειος, de Axonibus cf. etiam Hesych. in τρεῖς θεοί et Suidas in v. ὀργεῶνες unde discimus Seleucum in Solonis axones scripsisse Commentarium.

(3) Cff. Suidas *in voce* et Ruhnk. ad Timaei *Lex.* Plat. p. 170. de origine vocabuli etiam conferendus est Suidas.

(4) Cff. Harpocr. Suid. et Timaeus l. l. l. l. Meurs. *Solon.* Cap. XXIV. p. 88 sqq. Biag. l. l.

TELES, an inter se diversae fuerint tabulae illae, dubitavit; cui addatur scholiast. ad ARIST. *Nub.* p. 150. a VALES. in adn. ad HARPOCR. v. *κύρβεις* cit. Quibus autem multi huius LYSIAE in NICOM. *Orat.* loci, e quibus sacrorum ritus et sacrificia *κύρβεσι* inscripta luculenter videre licet, obiici possunt v. c. §. 17. *χρὴ θύειν τὰς θυσίας ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν ὅπλων κατὰ τὰς συγγραφὰς* — de quibus ultimis verbis infra dicemus — quibus addantur quae in fine eiusdem § dicit Orator et in initio sequentis, *οἱ τοίνυν πρόγονοι τὰ ἐκ τῶν κύρβεων θύοντες μεγίστην καὶ εὐδαιμονεστάτην τῶν Ἑλληνίδων τὴν πόλιν παρέδοσαν κ. τ. λ.* In initio autem Orationis, ubi reliquarum SOLONIS legum mentio fit, nullo loco hi memorantur *κύρβεις*.

Sententiam, quam promulgavit BIAGIUS l. l. *ἄξονας* nempe continuisse leges privatas, *κύρβεις* vero publicas et sacrificia, unde hauserit, non video. Leges certe, apud PLUT. p. 88 F. in decimo tertio axone positae, de illis qui infamia essent notati, publicae erant; quamquam in illis PLUTARCHO exigua sane tribuenda est fides; nam in initio p. 90, quae ad sacra pertinent, ideoque *κύρβεσιν* adscripta fuisse verisimile est, in sexto decimo tradit axone insculpta. Maioris autem momenti DEM. est locus *in Aristocr.* p. 629, quo loco de publica disserens lege DEM. ait: *ὡς ἐν τῷ Ἄξονι ἀγορεύει* (1) scilicet *ὁ νόμος* sive *ὁ νομοθέτης*. Hic tamen locus alia laborat difficultate, quare pauca de eo notare non abs re erit. Eiusdem enim Orat. p. 636. initio, quum novam ad caedem pertinentem recita-

(1) Pro *ἀγορεύει*, Wolf. *διαγορεύει*, Salmas. *ἠγόρευε*. Tayl. *ἀγορεύεται* legi volunt, quas tamen mutationes minus necessarias puto. Magis autem Reisk. emendatio in ipsius legis verbis, pro *ὅσον*, *ὅσου* legentis placet, quam postea Bekkerus et Schaefferus auctoritate codd. probaverunt.

re iubet legem Orator ait: ὃς μὲν νόμος οὗτός ἐστιν Δράκοντος, ὦ ἄ. Ἀθ., καὶ οἱ ἄλλοι, ὅσους ἐκ τῶν φονικῶν νόμων παρεγραψάμην, quae si revera DRACONIS sunt leges, sententiam PLUT. in *V. Solon.* p. 89. cadere necesse est: dicit enim: propterea, quod nunquam DRACON Areopagum memoraverit, neque ullo loco de Areopagitis in Draconis legibus mentio fiat, SOLON hoc instituisse tribunal creditur. Hanc sententiam falsam esse ex ipsa SOLONIS lege a PLUT. p. 88 citata, luculenter patet (1). Sed quaestio in eo versatur, utrum Areopagus ante SOLONEM senatus an tribunal habendum sit: quae tota, si DEMOSTHENI concedimus, dirimitur quaestio: nam in prima huius Orat. lege p. 627. non modo Areopagus memoratur, sed etiam huic tribunali δικῶν φονικῶν, caedis nempe voluntariae, vulneris praemeditati, incendii et venificii iurisdictio a DRACONE conceditur, quam legem MEIER. et SCHOEM. de *Lite Att.* p. 16. aut neglexisse aut DEM. supra memorata verba parvi existimasse videntur. Praeterea in secunda huius Orat. lege p. 629. citata, ἀξόνων mentio fit, ut supra animadvertimus, quibus SOLONIS erant inscriptae leges, DRACONIS autem ubique θεσμοὶ nominantur (2): quare MATTH. *de Jud.* p. 145 et 148. iure, ni fallor, statuit, DEMOSTH. l. l. non satis accurate locutum esse, quum omnes, quas attulit, leges DRACONIS esse dicat, sed duas priores SOLONI tribuendas esse leges; quam MATTHIAEI sententiam HERMANN. *Comp. Ant. Gr.* §. 105. n. 4. tacite probare videtur, cf. etiam SCHOEM. *Ant. J. Publ. Gr.* p. 172. n. 5. Ratio autem, quam Doct.

(1) Cf. porro de *Lite Att.* p. 17. Wachsm. l. l. Vol. I. 1. pag. 243.

(2) Andoc. *de Myst.* p. 39. Aelian. *Var. Hist.* l. VIII. c. 10. Meurs. *Solon.* cap. XIII. p. 45.

DE RIEMER (1) iniit, vereor, ut probari possit: leges enim Vir Doct. ponit quidem esse DRACONIS, sed inde ἀξόνων fluxisse mentionem, quod SOLON in illis quaedam fortasse mutaverit et lenierit, quae in ἄξοσι notaverit: hanc coniecturam etiamsi probaremus, sequeretur, nihil tamen his legibus inesse auctoritatis, quâ accurati quid de DRACONIS tempore statuere possemus: nihil enim magis verisimile, quam SOLONEM, si leges mutavisset, eas suis institutis et Reipl. formae a se institutae accommodatas reddidisse.

Ad SOLONIS leges redeamus. Tradunt Grammatici hos ἄξονας et κύρβεις in Acropoli primum servatos, postea autem EPHIALTE (2) auctore, ut omnibus harum legum, ut POLL. VIII. 128. addit, copia fieret, in Prytaneum delatas fuisse; accuratius ea de re agit HARPOCR., eas deductas esse ad βουλευτήριον et ἀγοράν. Quum s. v. *Μητρῷον* (3) in hac Matris Deorum fano eas servasse Athenienses nobis est auctor (ex quo PETIT. in *Praef. L. L. A. A.* p. 15 sq. in errorem incidit, *Μητρῷον* idem fuisse ac βουλευτήριον putans) perspicue illud templum ante Curiam fuisse exstructum Pausan. I. 3, 4. verba testantur: ᾠκοδόμηται δὲ καὶ *Μητρὸς* θεῶν ἱερόν, — καὶ πλησίον τῶν πεντακοσίων καλουμένων βουλευτηρίου, οἳ βουλεύουσιν ἐνιαυτὸν Ἀθηναίοις, quibus addatur AESCH. *in Ctesiph.* p. 80. Steph.

---

(1) pag. 32. *Specim. Crit. in* Demosth. *Orat. adv. Aristocr.* L. B. 1833.

(2) De Ephialte, Periclis aequali cff Diodor. XI. 77. Plut. in *V. Cimon.* p. 88 in *V. Periclis* p. 157. F. porro Aristot. *Polit.* p. 158. Cf. etiam Antiph. *Orat. de Caede Herod.* p. 737.

(3) Cf. porro Athenaei l. V. cap. 53. Ed. Schweigh. Plut. *vitt.* X. *Oratt.* p. 255. Meurs. *Lect. Att.* I cap. XI. Boeckh. *Oec. Civ.* I. p. 435.

ἐν τοίνυν τῷ Μητρῴῳ παρὰ τὸ βουλευτήριον κ. τ. λ. Hoc loco etiam Grammaticorum memorandus est error; frustra enim explicare et interpretari, quid DEM. in *Orat. in Aristocr.* p. 629. τὸν κάτωθεν νόμον appellaverit, conati sunt (1). Horum huius loci interpretationem memorare supervacuum esset; omnium enim sententiam optime TAYLORUS in *Ann. ad h. l.*, quem interpretes recentiores probaverunt, refellit, ostendens, haec verba neque ad Curiam, neque ad Axones, neque ad legum scripturam referenda esse, sed simpliciter de lege, quam scribam publicum recitare DEMOSTH. iubet, igiturque intelligendam esse legem inferiorem, i. e. quae proxime subsequebatur in exemplis, quae Orator describi curaverat, ut scriba recitare posset, eam, quae modo lecta esset.

Praeterea PETITI *L. L. A. A.* p. 178. memorandus est error, ex HARPOCR. in ὁ κάτωθεν νόμος, ortus ni fallor: Grammaticus enim inter alias causas cur DEMOSTH. τὸν κάτωθεν appellaverit νόμον, haec memorat, ἐπεὶ τοὺς ἄξονας καὶ τοὺς κύρβεις ἄνωθεν τῆς ἀκροπόλεως εἰς τὸ βουλευτήριον καὶ τὴν ἀγορὰν μετέστησεν Ἐφιάλτης, quibus ANAXIMENIS verbis PETIT. l. l. decernit, propterea, quod DEM. legem, ex illis in Μητρῴῳ servatis, descriptam intelligi velit, ut distingueretur ab iis, quae in Acropoli servabantur, quas significare si voluisset, τὸν ἄνωθεν νόμον ei dicendum fuisse. Hanc HARPOCRAT. quaesitam et adfectatam explicationem simplici TAYLORI verborum interpretationi cedere oportere nemo non videt. Illa tamen HARP. explicatione fretus PETIT. l. l. quamquam nullo veterum

(1) Vid. Harpocr. et Suidas in v. ὁ κάτωθεν νόμος. Poll. VIII 128. Meurs. *LL. AA.* I. 22. *Solon.* XXIV p. 91. Petit. *LL. AA.* p. 104. Salmas. *de M. U.* p. 758 sqq. Herald. *Animadv.* p. 298.

scriptorum testimonio adiutus, docuit modo legum *ἀντίγραφα* sive *ἀπόγραφα* in *Μητρῷον* deducta, sed *αὐτόγραφα* in Acropoli servata fuisse. Ex Poll. VIII. 128. (1) autem, quem citat, haec sententia elici nequit. Contra, quae Athenaeus l. V. c. 53. Schweigh. narrat de Apelliconte, Teio quidem genere sed in civium Atheniensum ordinem recepto, omne dubium tollunt: *ἦν γὰρ πολυχρήματος, τά τ' ἐκ τοῦ Μητρῴου τῶν παλαιῶν αὐτόγραφα ψηφίσματα ὑφαιρούμενος ἐκτᾶτο κ. τ. λ.* Cf. Iulian. quem in ann. ad h. l. Schweigh. citat. Orat. V. p. 298. Ed. Petav. *τὸ Μητρῷον, οὗ τοῖς Ἀθηναίοις δημόσια πάντα ἐφυλάττετο τὰ γράμματα.* Quamquam Dem. aetate in Acropoli tabulas servatas fuisse publicas *Orat. in Aristog.* I. p. 799 et sq. ostendunt. Non tamen dubitandum puto, h. l. potius psephismata aetatis recentioris, quam Solonis intelligendas esse leges: nam primum *Μητρῷον* memorare Oratorem, iam indicat, hunc praecipuum legum custodiendarum fuisse locum (2), quod

---

(1) Poll. VIII. 123. *ἐπέκειντο δὲ οἵ τε κύρβεις καὶ οἱ ἄξονες ἐν Ἀκροπόλει πάλαι, αὖθις δ' ἵνα πᾶσιν ἐξῇ ἐντυγχάνειν εἰς τὸ Πρυτανεῖον καὶ τὴν ἀγορὰν μετεκομίσθησαν.*

(2) Quod hac de re animadvertit Biag. l. l. cap. XXVIII. p. 348. leges post Solonem exaratas, et in Archivo publico asservatas, in papyris seu chartis fuisse atramento conscriptas, non improbabilem puto conjecturam. Multas enim novas leges, inprimis post XXX-viros electos, Archonte Euclide latas satis cognitum, quarum numerus, ut Dem. *adv. Lept.* p. 485. queritur, adeo crevit, ut ab ullo pernosci vix posset; quo factum, ut multae contrariae et sibi repugnantes irrepserint leges. Quas omnes ligneis sive lapideis columnis inscriptas Metro inclusas statuere, ridiculum est. Huic sententiae etiam favet, quod *in Nicom.* §. 3. legimus. Orator nempe dicit, reum adeo pro arbitrio munus gessisse, ut adversarius in iudiciis uterque legem proferret, a Nicomacho acceptam, quam ob rem ab Archontibus mulctatus et in iudicium deductus, nihilominus

etiam p. 381. *Orat. de Fals. Leg.* confirmatur, ubi tabulas a servo publico custodiri dicit, *ἐν τοῖς κοινοῖς τοῖς ὑμετέροις γράμμασιν ἐν τῷ Μητρῴῳ τοῦτ' ἐστὶν, ἐφ' οἷς ὁ δημόσιος τέταχται* : obiter animadvertendum est, hoc DEM. loco minime everti sententiam eorum, qui statuunt, scribae, qui *ὁ κατὰ πρυτανείαν* vocabatur, legum et tabularum publicarum, per suam Prytaniam curam fuisse oblatam. Nam verisimile est, praeter hunc scribam Prytaniae, servum publicum, huic subiectum, legibus praefuisse, cuius esset munus legum servandarum, inque ordinem redigendarum, cf. SCHOEM. *de Com.* p. 319. Clavem sacrorum, ubi pecuniae publicae et tabulae erant sitae, apud Epistatem depositam fuisse, nobis POLL. VIII. 96 auctor est.

Haec sunt, quae de SOLONIS legum conservatione notanda necesse putabam: psephismata autem, quippe quae SOLONIS aetate recentiora, neque ad ius civile et publicum pertinentia, sed de singulis rebus aut hominibus constituta, exponere non est huius loci, sed conferendus est peculiaris de Decretis Atheniensium a BIAGIO scriptus liber, et SCHOEM. *de Com.* p. 217. (1). Horum etiam latio, quippe quae singulis populi concionibus cuivis proponere licuit, a legum latione valde fuit diversa. SOLONIS enim legum, ne in posterum, si cuivis quovis

---

leges tradere noluit; quod de Axonibus ipsis intelligi nequit. Atheniensium praeterea studium, quo omnia, quae ad civitatem et eius administrationem pertinent, vetustissimae aetati tribuere conarentur, cognitum est. Non igitur mirum omnes leges, licet aetate recentiores, plerumque solenni Solonis nomine quasi ornatas fuisse, ut difficillimum saepe sit, quae a Solonis quaeque ab aliorum legislatorum tempore repeti debeant, definire.

(1) Cf. porro Hermann. *Comp. Ant. Gr.* §. 67. n. 8.

tempore facilis abrogandarum novarumque ferendarum esset facultas, auctoritas minueretur, diligenter a SOLONE erat provisum. Quotannis statuto tempore legibus erat cautum, Nomothetas ex Heliastarum ordine a populo creari, ut de novis legibus proponendis veteribusque tollendis agerent, quo tempore unico ut leges mutarentur ferre licitum erat, quod Nomothetarum munus supra §. 2. obiter attigimus. Ample docteque eorum munus exposuit SCHOEM. *de Com.* p. 250 — 270. (1). Praeter hanc annuam legum censuram, alia etiam fieri solebat, ut AESCHINES *in Ctesiph.* p. 59. Steph. narrat: *διαῤῥήδην προστέτακται τοῖς θεσμοθέταις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν διορθοῦν ἐν τῷ δήμῳ τοὺς νόμους ἀκριβῶς ἐξετάσαντας καὶ σκεψαμένους, εἴ τις ἀναγέγραπται νόμος ἐναντίος ἑτέρῳ νόμῳ, ἢ ἄκυρος ἐν τοῖς κυρίοις, ἢ εἴ πού εἰσι νόμοι πλείους ἑνὸς ἀναγεγραμμένοι περὶ ἑκάστης πράξεως κ. τ. λ.* de qua Thesmothetarum annua disquisitione idem vir egreg. SCHOEM. l. l. 259. disputat.

Hanc tamen paragraphum relinquere prius nolo, quam nostrae Orationis locum, quam supra citavi, explicare conatus fuero: dicit nempe §. 17. actor: *χρὴ θύειν τὰς θυσίας τὰς ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν ὅπλων* [TAYL. *στηλῶν*] *κατὰ τὰς συγγραφάς*. E supra dictis, quae sint *αἱ θυσίαι αἱ ἐκ τῶν κύρβεων*, dubitari nequit: intelliguntur ipsae sacrorum leges, a SOLONE latae, lapideis columnis inscriptae. Ex quibus, ut e seqq. §§. discimus, his sacris tria talenta de publico destinabantur; eadem sacra etiam *αἱ θυσίαι αἱ*

(1) Hanc autem legem pedetentim in desuetudinem abiisse illamque legem ferendarum rationem invaluisse, et ut psephismata, ita leges quoque in comitiis omni tempore propositas fuisse Dem. in *Timocr.* p. 774. et *adv. Lept.* p. 484 sq. indicat. Cff. quae Schoemann. l. l. p. 263. contra Wolfii sententiam in *Proleg. ad Lept.* promulgatam, disputat.

πατρῖοι (unde §. 18 κατὰ τὰ πατρία θύειν) vocabantur: cf. huius Orat. §. 20, et Isocrat. *Areop.* p. 143 *Cor.* Quibus plerumque opponuntur αἱ ἐπίθετοι ἑορταί, quae feriae propterea adscitae erant, ut populi luxuriae consuleretur, αἷς, ut Isocrat. l. l. dicit, ἐστίασίς τις προσῆν (1). Verba quae Lysias addidit: αἱ (θυσιαὶ) ἐκ τῶν ὅπλων [Tayl. στηλῶν] κατὰ τὰς συγγραφάς, variis modis explicaverunt interpretes. Petit. *L. L. A. A.* p. 74 sacrificia, quae ex reditibus agri illius, — τεμένους — cuiusque Numinis templo dedicati, fiebant, intelligere videtur: cf. etiam p. 150 eiusd. libri. Hos autem agros reditusque ex his redundantes singulorum templorum dominium fuisse proprium verisimile est (2): neque reo actor obiecisset (§. 19), ὅτι αἴτιος γεγένηται τὰ προσιόντα χρήματα εἰς ταῦτα μὲν ἀναλίσκεσθαι, ἐν δὲ ταῖς πατρίοις θυσίαις ἐπιλείπειν, et §. 21, ὅτι ἐν δυοῖν μὲν ἐτοῖν πλείω ἤδη τοῦ δέοντος δώδεκα ταλάντοις ἀνάλωσε, παρ' ἕκαστον δὲ τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχείρησεν ἓξ ταλάντοις τὴν πόλιν ζημιῶσαι. Aliam rationem Reiskius et Augerus inierunt, verbis κατὰ τὰς συγγραφὰς intelligentes pacta sive foedera, quae exsules quum redirent in Piraeeo cum urbanis condidissent: fundamentum autem, quo haec nitatur sententia, desideratur. Nullo, quantum scio, horum temporum historiae scriptorum testimonio confirmatur, haec sacra sub Triginta-virorum dominatu intermissa posteaque peculiari foedere restaurata fuisse. His igitur sepositis, alia quaerenda est in-

(1) Quae ut appareat ad quantum luxuriae gradum pervenissent, operae est pretium conferre Boeckh. *Oec. Civ.* Vol. I. p 227.

(2) Cf. Lex. Seguer. p. 240: δημοτελῆ καὶ δημοτικὰ ἱερεῖα διαφέρει· τὰ μὲν δημοτελῆ θύματα ἡ πόλις δίδωσιν, εἰς δὲ τὰ δημοτικὰ οἱ δημόται, εἰς δὲ τὰ ὀργεωνικὰ οἱ ὀργεῶνες οὗ ἂν ὦσιν ἑκάστου τοῦ ἱεροῦ, εἰς δὲ τὰ τῶν γονέων (γενῶν?) τὰ γένη.

terpretatio. Primum autem ipsa LYSIAE adtendamus verba. Pro ὅπλων vel εὐὅπλων, quod MSS. habent, TAYLORUS στηλῶν emendavit, quam emendationem recentiores LYSIAE editores omnes in textum receperunt: quod tamen factum nollem: στῆλαι enim tabulae a NICOMACHO compositae vocantur, disertisque verbis §. 21 sacra κατὰ τὰς συγγραφὰς opponuntur illis, quae κατὰ τὰς στήλας, ἃς οὗτος ἀνέγραψε, celebrabantur. Nullo igitur modo fieri potest, ut actor ὡς χρὴ θύειν τὰς θυσίας τὰς ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν στηλῶν κατὰ τὰς συγγραφὰς suaserit; nam ipsum accusationis caput in eo vertitur, quod reus in *stelis* istis multa sacrificia luxuriosa et minus necessaria adscripsisset. Neque reliquorum Virorum Doctorum coniecturae admittendae videntur: nec PETITI enim ad *Legg. Att.* l. I. tit. I. p. 74 εὖ πλείων, neque PALMII εὐτελῶν, nec SALVIN. ἐς πλείω ullum sensum praebent: displicet etiam MARKLANDI Εὐμολπιδῶν et DOBREI in *Advers.* ad h. l. βίβλων: — loci DEMOSTH. *pro Coron.* p. 313 et de *F. L.* p. 408 ad mysteria pertinent, quorum celebrandorum ritus βιβλοῖς illis comprehensos fuisse non inprobabile videtur —. Reiectis igitur aliorum coniecturis pro ὅπλων legendum puto νόμων; quae violenta certe non est mutatio: nihil sane facilius quam *M*, ut in MSS. scribitur, in *ΠΛ* mutatio, et *N* propter ultimam literam antecedentis τῶν absorberi facile potuit. Secundo loco locutio κατὰ τὰς συγγραφὰς animadvertenda est: συγγραφὴ contractus inter duos pluresque de quacumque re significat, vid. REISKII *Index ad Demosth.* in voce. Eodem modo foedus inter civitates, ut apud THUC. V. 35: χρόνους τε προὐθεντο ἄνευ ξυγγραφῆς, ἐν οἷς χρῆν τοὺς μὴ ἐσιόντας ἀμφοτέρους πολεμίους εἶναι, ubi recte ARNOLDUS vertit: *without a written agreement.* Semper enim συγγραφὴ de scripto contractu usurpatur: quam significationem si hic admittimus, actor dicit: decet sacra celebrare e columnis

lapideis et e legibus, quae communi contractu de Deorum cultu et sacrorum faciendorum ritu postea adscriptae sunt. Fere eundem et fortasse etiam meliorem sensum praebent verba κατὰ τὰς συγγραφάς, si per analogiam — exempla enim citare nequeo — explices. Verbum nempe συγγράφειν significat *colligere*, *collectaque in ordinem redigere*, et συγγραφεὺς, *collector*, *scriptor*, *historicus*, unde substantivum συγγραφή, *res quae collecta*, *scripta est*, *historia*; vertenda tum essent verba: sacra e columnis lapideis et e legibus, quae in scriptis collectionibus reperiuntur. Notant igitur haec verba, utramvis admittamus significationem, idem, quod in Orat. *in Andoc.* p. 204 οἱ γεγραμμένοι νόμοι, opponunturque hic iis sacris et feriis, quae usu et consuetudine irrepsissent, sed legibus non essent sancitae; recte etiam tum procedunt verba praecedentia: τοῖς κοινοῖς καὶ κειμένοις ἀξιῶ τοῦτον πείθεσθαι, quibus intelliguntur leges iure latae et constitutae, omnibusque civibus communes (cf. DEMOSTH. in *Pantaen.* p. 977, et ISOCRAT. in *Panath.* p. 269 *Cor.*), opponunturque iis, quae certo cuidam civium generi sunt propriae. Et verba quae in fine §. 17 reperiuntur, ταῦτα γὰρ ὑμεῖς ἐψηφίσασθε, ni fallor, ad haec ultima ἐκ τῶν νόμων κατὰ τας συγγραφάς sunt referenda.

# ANNOTATIO IN ORATIONEM.

§. 1. p. 836 R. ἄξιον. E cod. Laur. Steph. ἀξιῶ.

§. 1. p. 837 R. ὁ παιὴρ ὁ Νικομάχου δημόσιος ἦν. Annotatat ad h. vs. TAYLORUS: »Plenius apud AESCHINEM *in Timarch.* ἔστι τις Πιττάλακος ἄνθρωπος δημόσιος οἰκέτης τῆς πόλεως.« Locus hic a TAYL. cit. est pag. 8 vs. 25 *Steph.*, p. 30 *Tayl.* in fine (REISKII ed. AESCH. ad manum non habeo). Haec ultima verba οἰκέτης τ. π. antea legens, statim commentatori cuidam, qui eo consilio, ut δημόσιος explicaret, illa in margine addidisset, unde postea in textum irrepsissent, tribui; magis etiam hoc mihi persuasum erat, quod post trium versuum intervallum eadem recurrunt verba. Sed HARPOCR., in v. δημόσιος, hunc AESCHINIS locum describit, ita ut nisi iam eius aetate textum fuisse interpolatum, quod parum credibile videtur, statuamus, hic pleonasmus (cf. POLL. IX. 10, LEX. SEGUER. vol. I. p. 234) eadem ratione, qua ἄνθρωπος — vid. VALCKEN. in *Annot. Crit. in loc. N. T.* p. 336, et cf. huius Orat. §. 28 — sit explicandus, ut nempe quam maximum contemtum in TIMARCHUM, quippe quem non puduit se servo publico prostituere, significaret auctor. Eo sensu etiam recurrit p. 34 TAYL. eiusdem Orat. Eadem autem verba post tam breve verborum intervallum in loco, quem citat TAYL., repetere AESCHINE indignum puto, quapropter postrema οἰκέτης τῆς πόλεως

commentatorem quemdam post iterum memoratum *δημόσιον* addidisse verisimile puto. Hoc certe statui potest, *δημόσιον οἰκέτην τῆς πολέως* solitam locutionem non fuisse, quapropter nemo, si huic LYSIAE loco ea addidisse voluisset TAYLORUS, facile concederet.

§. 1. p. 837 R. *ὅσα τὴν πόλιν ἐλυμήνατο*; *ὅσα* habet Ed. Ald.; aliae *οἷα*, etiam Cod. Laur. (C. BEKK.). Vulgatam autem lectionem praeferendam puto. In sqq. verbis *τοὺς νόμους τοὺς Σόλωνος* est REISKII coniectura pro vulgari *τοῦ*.

§. 2. p. 839 R. *ἑξέτη* e coniectura TAYLORI, pro vulg. *ἓξ ἔτη*. MARKLANDUS et REISK. *ἑξαέτη*: vid. de vocabulis cum *ἔτος* compositis LOBECK. ad PHRYNICH. p. 406 et sq.

§. 3. p. 840 R. *ἐπιβαλλόντων δὲ τῶν ἀρχόντων ἐπιβολὰς καὶ εἰσαγόντων εἰς το δικαστήριον*. BEKKERI *Anecd.* p. 254 citata, BREMIUS ad h. l. annotat: »*ἐπιβολὴ* est compendiaria actio forensis, quum pro auctoritate Magistratus noxio poena imponitur." E qua annotatione, quid significet formula *ἐπιβολὰς ἐπιβαλλεῖν τινὶ*, intellectu est difficile, neque hoc ex Grammatici loco e BEKK. *Anecd.* citato satis accurate cognoscitur. Paullo igitur accuratius hanc Magistratuum iurisdictionem exponere fortasse non erit supervacaneum. *Ἐπιβολαὶ* vocabantur mulctae a Senatu docet et Magistratibus irrogatae. Athenis enim omnibus Magistratibus ius mulctam dicendi erat, ut perspicue docet AESCH. in *Ctesiph.* p. 57 vs. 23 *Steph.* de DEMOSTHENE, cui moenium reficiendorum cura erat mandata — *τειχοποιός* — dicens: *καὶ τὰ δημόσια χρήματα διεχείριζε καὶ ἐπιβολὰς ἐπέβαλλε καθάπερ καὶ οἱ ἄλλοι ἄρχοντες κ. τ. λ.* (cf. WACHSM. *Ant. Hell.* II. 1 p. 142, 149 et 252; MEIER. de *B. D.* p. 236). Neque ad talem imponendam mulctam accusator requirebatur, quamquam unusquisque civium aliquem ad mulctandum apud Magistratus

denunciare posset, sed ipsi pro auctoritate eam irrogabant magistratus, cf. DEM. *aav. Mid.* p. 572, MEIER. et SCHOEM. *de Lite Att.* p. 34 et 565. Hanc tamen magistratuum potestatem certis fuisse legibus obstrictam, ex loco DEM. *adv. Macart.* vidimus, ubi quum de Archonte, a Grammaticis Eponymo dicto, agatur, Orator p. 1076 ait: *κύριος ἔστω ἐπιβάλειν κατὰ το τέλος*, i.e. ad certam usque summam mulctarum inponendarum ei sit potestas; haec enim verba non de *censu*, ut REISK. voluit in *Ind. ad Dem.* s. v. *τέλος*, intelligenda esse, recte animadvertit LELYVELD. *περὶ ἀτιμίας* p. 226, quoniam nullum indicium exstat, eiusmodi morem Athenis obtinuisse, ut in mulctis definiendis ratio census haberetur, cf. PLATNER. *Proc.* vol. I. p. 309. Quanta haec summa singulis fuerit Magistratibus, non constat; apud AESCH. in *Timarch.* p. 5 vs. 36 *Steph.* Proëdris, cuiusque oratoris, qui ordinem in concionibus observandum violasset, ad quinquaginta Drachmas mulctandi conceditur potestas (de qua corrupta ac mutila lege vid. SCHOEM. *de Com.* p. 115 n. 29 et p. 218). Senatui autem quingentas inponere Drachmas licuit: vid. DEM. *in Euerg.* et *Mnesip.* p. 1152: quo loco de senatu locutus ait: *πότερα δικαστηρίῳ παραδοίη, ἢ ζημιώσειε ταῖς πεντακοσίαις, ὅσου ἦν κυρία κατὰ τὸν νόμον.* De reliquis tamen Magistratibus non constat, vid. PLATN. *Proc.* vol. I p. 310 sqq., HEFFTER. de *Re Iud.* p. 415—420. Si maior, quam quae secundum leges iis inponere liceret, requirebatur poena, res ad tribunal deferebatur, quo facto iidem Magistratus et accusabant et iudicii erant *ἡγέμονες*: cf. PLATN. l. l. p. 213, MEIER. et SCHOEM. l. l. p. 566. Sic etiam XEN. *Hell.* I. VII. 92 certe intelligendus est: *Ἀρχέδημος, τότε προέστηκως ἐν Ἀθήναις — Ερασινίδῃ ἐπιβολὴν ἐπιβαλὼν κατηγόρει ἐν δικαστηρίῳ* (ubi pro verbo *ἐπιβολήν*, quod MORUS, admonente TAYLORO in *Annot. ad Lys. in Andoc.* p. 219, in

textum recepit, antea legebatur *ἐπιβούλην*, ut in ipso Lysiae loco); cf. porro Plat. de *Legg.* XII §. 193. Reo porro, si iniuste multatus sibi videbatur, ad iudices provocationem instituere licitum fuisse, verisimile esse disputat Platner. l. l., quocum conferantur loci a Meiero et Schoem. l. l. p. 35 n. 26 citati; quam sententiam Aristot. *Polit.* IV. 13 §. 1: *τέταρτον δικαστήριον καὶ ἄρχουσι καὶ ἰδιώταις ὅσα περὶ ζημιώσεων ἀμφισβητοῦσι*, confirmare videtur. *Ἐπιβολὰς* illas tabulis inscriptas magistratus practoribus tradebant, cf. Aesch. in *Timarch.* p. 5 vs. 40 *Steph.* Apud Lys. pro *Milit.* p. 323 quaestoribus — *ταμίαις* — tradebantur, qui, quum iniuste eum mulctatum viderent, *τὸν παρ' ὑμῶν κίνδυνον ὑποστάντες, ἄκυρον τὴν ζημίαν ἔκρισαν*, id est, suo periculo multam deleverunt. E quo loco male intellecto, sententia, quam Poll. VIII. 97 promulgavit, ubi de quaestoribus dicit: *εἶχον δ' ἐξουσίαν καὶ ζημίαν ἀφελεῖν, εἰ ἀδίκως ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἐπιβληθείη*, fluxisse videtur; cf. Heffter. l. l. p. 419: qui eodem modo Grammatici errorem in Bekk. *Anecd.* p. 190 s. v. *κωλακρέται*: *οἱ κρατοῦντες δικαστικὴν ζημίαν* explicuit, quamquam ultimum locum aliter interpretatus est Boeckh. *Oec. Civ.* I. p. 188.

Praeterea *ἐπιβόλη* vocabatur mulcta, quam is solvere debuerat, qui quum publico aliquem iudicio petivisset, postea litem non persequeretur, cf. Aesch. de *Fal. Leg.* p. 269. Eam significationem amplius exponere non est huius loci, sed conferre Platner. l.l. et Lelyveld. l. l. p. 230 operae est pretium. Usurpatur etiam de tributo: vid. Timaei *Lex. Plat.* pag. 116 ibique Ruhnk. *Annot.*

§ 4. p. 140 R. *ὁποίαν καὶ νῦν τὴν ἀρχὴν κατεστήσατο.* Pro *ὁποίαν* Schott. emendat *ὁμοίαν*, quam emendationem Dobreus *in Advers.* ad h. l. probat; Taylorus contra legere vult: *ἐπειδὴ δίκην οὐ δέδωκεν, ὁποίαν ἔδει, καινὴν ἀρχὴν κατεστήσατο.* Cui Markl. adhuc addit *τινά*,

ut legatur: *καινήν τινα ἀρχήν*. Novam tamen rationem; quae, ni fallor, sine mutatione, locus hicce LYSIAE sanatur, post *κατεστήσατο* addens signum interrogationis, iniit REISKIUS. Cui sententiae FRANZIUS subscribere non vult: legit igitur *ἐπειδὴ ἐκείνων δίκην οὐ δέδωκεν, ἄξιον θαυμάζειν ὁποίαν καὶ νῦν τὴν α. κ.* Vereor autem, ne tale verborum augmentum minime sit necessarium: inprimis enim propter sequens *ὅστις* REISKII mihi placet interpretatio; si, ut SCHOTT. visum est, *ὁμοίαν* auctor voluisset, non dubito, quin in sequentibus, non ut nunc est, *ὅστις πρῶτος μὲν κ. τ. λ.*, sed *πρῶτον γὰρ κ. τ. λ.* scripsisset. Praeterea recte in *Advers.* animadvertit DOBREUS, omnia illa, quae Orator inde a verbo *προσταχθὲν γὰρ — εὐθύνας ὑποσχεῖν* dixit, de veteribus praemissa esse delictis, antequam ad ipsam causam ventum sit: ut fusius in §. 2. de Actionis historia ostendere conati sumus.

§. 4. p. 841 R. *ἔπειτα διωρισμένον ἐξ ὧν ἔδει ἀναγράφειν*. Cod. Laur. *ἔπειτα διωρισμένα* alii *ἐπὶ τὰ διωρισμένα* habent. Vulgarem lectionem defendere sane supervacaneum esset. Hunc locum obiter tangit EMPERIUS, *Observ. in Lys.* (*Brunswig.* 1833. 4°) p. 48, hoc tantum annotans: »ἐξ mallem abesse." Vulgaris tamen lectio, ni fallor, bene se habet, nam illud *ἐξ ὧν* non ad sequens *ἁπάντων*, ut EMPERIUS voluisse videtur, referendum puto sed potius intelligo tabulas, e quibus leges describere ei erat mandatum. Munus post exactos Triginta-viros accepit, quum SOLONIS leges maximam partem in oblivionem abiissent, et quodammodo etiam interpolatae essent: has igitur leges interpolatas a veris SOLONIS institutis et salva republica ex lege latis discernere NICOMACHO fuisse iniunctum memoratis verbis *διωρισμένον ἐξ ὧν ἔδει ἀναγράφειν* indicat auctor. Verba, quae sequuntur: *αὐτὸν ἁπάντων κύριον ἐποίησε, καὶ τοσαῦτα διαχειρίσας κ. τ. λ.*, partim e coniectura MARKL. partim e Cod. Laur. (C. BEKK.) sunt

restituta. Legebantur antea κύριον ἐπιτήσατο καὶ ὅσα χειρίσας (MARKL. διαχειρίσας): quae verba variis turbaverunt coniecturis V. V. D. D. MARKL. τὰ δημόσια, REISK. ὅσα οὐδεὶς ἄλλος, SEIFERTUS τὰ ὅσια, quae eadem ac τὰ δημόσια putabat Vir. Cl. (de qua sententia, quam etiam TAYLORUS defendit, infra in Ann. ad §. 25 dicemus), legere voluerunt. LYSIAE verba, ut nunc in libris leguntur, e Cod. Laur. (C) BEKKERUS optime restituit; sententiam autem iam antea IACOBSIUS in *Addit. Ann. in Athen.* p. 27, καὶ τόσα διαχειρίσας proponens, ut citatum inveni, assecutus erat.

§. 5. p. 842 R. αὐτὸς δημόσιος ἦν. Cff. quae pag. 6 et sq. de NICOMACHI conditione annotavimus, locisque ibi citatis addatur error, in quem se abduci passus est D'ORVILLIUS in *not. ad Charit. Aphrod.* l. III. c. 4. p. 292.

§. 6. p. 843 R. ὑπὲρ ἁπάντων [γώων] τὴν τιμωρίαν ποιήσασθαι. Pro his quatuor literis, e quibus nullus elici potest sensus, inopportune, credo, TAYL. γ' ἀθρόων, MARKL. eiecto γ simpliciter ἀθρόων restituere voluerunt: quod sane potius HOMERO, quam concinno ac brevitate perspicuo LYSIAE convenit. Etiam minus apte REISKIUS in illis literis exclamationem ὦ ἄνδρες vel ὦ ἄνδρες δικασταί latere suspicatus est: nullo, quantum scio, loco apud LYSIAM talis exclamatio in fine periodi reperitur, ac praeterea h. l. non modo supervacanea, sed frigida esset, quia sequens allocutione ὦ ἄνδρες δικασταί incipit periodus. Coniectura FRANZII ὑπὲρ ἁπάντων αὐτῶν ne ipsi quidem satisfacere videtur. Quare, Codd. Laurent. et Vindob., omissis illis verbis, lectionem νῦν ὑπὲρ ἁπάντων τὴν τιμωρίαν ποιήσασθαι (infinit. ex coni. MARKL. pro vulg. ποιησασθε) praebentibus, cum BEKKERO recentioribusque LYSIAE editoribus statuo, quominus haec plane inopportuna verba expungantur, nihil impedire.

§. 7. p. 844 R. *ἀπολογίας ἐμοὶ δοθείσης.* Locutio *λόγον διδόναι* notat dicendi facultatem, quam Magistratus, qui litem ad iudicium introduxerat — *ἡγεμών τοῦ δικαστηρίου* — adversariis, post accusationis tabulas a scriba publico perlectas, dabat; quo facto, talis observabatur ordo, ut primus actor accusationes exponeret, quarum refellendarum secundo loco reo opportunitas daretur; saepe autem actori ad rei defensionem refutandam iterum concedebatur tempus, quod *λόγος ὕστερος* vocabatur: quem favorem etiam sibi postulare accusatori erat licitum (Cff. Oratorum loci a MEIERO et SCHOEM. de *Lite Att.* p. 711 n. 24 citati). Illum *λόγον ὕστερον* actor hic spectat, ideoque *ἀπολογίαν* vocat, quod tum demum, quae reus ipse exprobraturus esset, refutandi opportunitas daretur. Quibusdam autem in causis illum *λόγον ὕστερον* non concessum fuisse, DEM. *de Fals. Leg.* docet, quum de AESCHINE post se dicturo dicat (p. 407): *ἀλλὰ μὴν, ἐάν γέ τι ἔξω τῆς πρεσβείας βλασφημῇ περὶ ἐμοῦ, κατὰ πολλὰ οὐκ ἂν εἰκότως ἀκούοιτε αὐτοῦ· οὐ γὰρ ἐγὼ κρίνομαι τήμερον, οὐδ' ἐγχεῖ μετὰ ταῦθ' ὕδωρ οὐδεὶς ἐμοί.*

Verba, quae in Orat. LYS. praecedunt, *ἐγὼ δὲ περὶ τῶν ἐμῶν τούτῳ τότε ἀξιῶ πιστεῦσιν ὑμᾶς, ὁπόταν κ. τ. λ.*, sic e BEKKERI Cod. Vindob. sunt emendata: reliquis in Codd. omittitur *τούτῳ*, dum in Cod. Vindob. bis *τότε* legitur, et ab initio periodi ante *ἐγὼ δὲ* et post *τούτῳ*. Particulam *μὲν* post *περὶ* addere FRANZIUS necesse putat. Non ita videtur, nam particularum copia emphasi, qua haec pronuntiata esse verba videntur, nocet.

§. 7. p. 844 R. *ὡς ἐγὼ τῶν Τετρακοσίων ἐγενόμην, ἐνθυμεῖσθε ὅτι ἐκ τῶν τοιαῦτα λεγόντων κ. τ. λ.* Ultimis verbis illud *ὅτι ἐκ*, quod necessario requirebatur, et iam CONTIUS coniectura assecutus erat, a BEKKERO e Cod. Laur. (C) additum est: ita ut aliorum Virorum Doctorum coniecturas memorare — textus enim sine dubio

sic restituendus est — supervacaneum ducam. Vid. de usu gen. cum praep. ἐκ MATTH. *Gramm. Graec.* p. 1335 §. 574 ed. tert. Illud, quod praecedit, τετρακοσίων TAYLORI est coniectura pro τριακοσίων, quod non modo h. l., sed ter eadem §., omnibus consentientibus Codd., recurrit, ut in seq. §. τριοχιλίων, pro quo TAYL. et REISK. πενταχισχιλίων legendum censent. Omnibus Codd. idem probantibus, sine iusta causa lectionem mutare temerarium duco, quare diu etiam rationem, qua τριακοσίοι illud servarem, quaesivi (Nemo enim illos hic memoratos confundat cum τριακοσίοις τῶν συμμοριῶν, qui navium bellicarum instruendarum curam tempore DEMOSTH. habebant; de quibus cff. BOECKH. *Oec. Civ.* vol. II. p. 69 sqq., HERMANN. *Comp. Ant. Graec.* §. 161 p. 348, et SCHOEM. *Ant. J. Publ. Graec.* p. 322 seqq.). Haec autem lectio quomodo defendi posset, non video, nisi fortasse e ratione, qua quadringenti sunt instituti: cf. Thuc. VIII. 67. Electi nempe sunt a populo, suasu decem συγγραφέων — de quibus pag. 14 et sqq. locuti sumus —, quinque Proëdri, a quibus ad rem publicam administrandam centum creati sunt viri, qui sibi iterum, ut aucto numero maior esset auctoritas ac potestas, trecentos — ἕκαστος πρὸς ἑαυτὸν τρεῖς — coöptaverunt. Hos fortasse actorem h. l. spectare propterea, quod cum tribus millibus, qui ut rerum tuendarum participes essent, THERAMENE paullulum ab eorum libidine et crudelitate descisceute, a Triginta-viris electi sunt, comparantur, haud plane improbabile mihi videtur. Πενταχισχιλίους enim pro τριοχιλιοῖς etiam BREMIUS et FRANZIUS merito, puto, improbaverunt. BREMII ipsius, quibus vulgarem defendit lectionem, verba hic affero: » Per τριοχιλίους ii, opinor, sunt intelligendi, quos Triginta-viri, metuentes, ne cives THERAMENI se adiungerent, elegerunt τοὺς μεθ' ἑξοντας δὴ τῶν πραγμάτων XENOPH. *Hell.* II. 3, 18.

Complectitur igitur illud tyrannidis tempus a dominatu quadringentorum ad id momentum usque, quo spes erat fore, ut Triginta-virorum tyrannis labefacta mox corrueret, et affirmat tantum abfuisse, ut hominum ambitiosorum et arrogantium consortio se adiunxerit, ut ne partem quidem inter postremos habuerit, qui allecti sint, ut ruinam corporis ruentis remorarentur." Praeterea etiam addatur, nunquam quinque millium virorum imperium, quantopere trium millium, in se populi contraxisse odium. Conferendus est locus apud THUC. l. VIII, ubi de *πεντακισχιλιῶν* imperio dicit (§. 97): *καὶ οὐχ ἥκιστα δὴ τὸν πρῶτον χρόνον ἐπί γε ἐμοῦ Ἀθηναῖοι φαίνονται εὖ πολιτεύσαντες· μετρία γὰρ ἥ τε ἐς τοὺς ὀλίγους καὶ τοὺς πολλοὺς ξύγκρασις ἐγένετο, καὶ ἐκ πονηρῶν τῶν πραγμάτων γενομένων τοῦτο πρῶτον ἀνήνεγκε τὴν πόλιν.*

§. 9. p. 846 R. *ἔτι δὲ, οἶμαι, θαυμαστὸν νομίζω Νικόμαχον ἑτέρους ἀδικοῦσι μνησικακεῖν ἀξιοῦν.* Ad hanc tautologiam *οἶμαι — νομίζω*, de qua omnes conveniunt Codd. nisi quod Cod. Palat. (X. BEKKERI) *νομίζων* habet, haec annotant V. V. D. D.: *οἶμαι* dele CONT. Dele vel *οἶμαι* vel *νομίζω* TAYL. Eodem modo nisi malis *εἶναι* pro *οἶμαι*, MARKL. REISKIO in *Var. Lect. Lys.* p. 725 legendum videtur: *ἔστι δ' οἶμαι θαυμαστὰν, νομίζειν Νικόμαχον, ἑτέροις ὑμᾶς ἀδικοῦσι δεῖν μνησικακεῖν, αὐτῷ δ' οὐκ ἀξιοῦν.* Ingeniosa certe REISKII emendatio est, quam tamen quominus admittamus, multa dissuadent. BREMIUS contra in vulgata acquiescit lectione: *οἶμαι* enim, inquit, deposita propria notione, formulae cum ironia affirmativae significationem sumsit, et valet *ἴσως, δήπου*. Cui FOERTSCHIUS (in *Comm. Crit. de locis nonnullis Lys. et Demosth.*, eius edit. LYS. praefixo p. 33) ita respondit: »Substituamus *δήπου*, quid lucramur? Tautologia manet; *δήπου* enim nihil aliud est quam *opinor*. Itaque ego non dubito quin *οἶμαι* sit expungendum, quod ut in textum

irreperet, duabus fieri potuit rationibus. Aut lector aliquis v. νομίζω per οἶμαι explicuit (quemadmodum persaepe verba ἡγεῖσθαι, ut interpretamentum, substitutum est οἴεσθαι; cf. Lys. *Areop. περὶ τ. σίτ.* §. 2, ubi pro ἡγουμένοι Codd. C. et O. praebent οἰόμενοι; Aeschin. ed. Brem. T. I. p. 142; Schaef. *app Crit. ad Dem.* p. 43, 5), aut librarius aliquis magis sensum verborum, quam ipsa singula verba, quae transscripturus erat, memoria tenens, pro ἔτι δὲ θαυμαστὸν νομίζω, scripsit ἔτι δ' οἶμαι θαυμαστόν, videns autem deinde se errasse, ne omitteret quidquam, etiam νομίζω appinxit." Mihi etiam hoc superfluum verbum commentatori tribuere, optima videtur ratio. Nam emendationem Dobrei in *advers. ad h. l.* ἔστι δ' ἐμοὶ θαυμαστὸν, εἰ Νικόμαχος — ἀξιοῖ, non dubito, quin ipse, si haec advers. ut publici iuris aliquando fierent fore scivisset, revocasset. Neque Franzii coniecturam pro οἶμαι ponentis καὶ (Sluiterus iam antea ἔτι δὲ μᾶλλον θαυμαστον νομίζω Lysiam scripsisse arbitratus erat), quod *Lysiae nobis praestare manum* dicit, admittendam duco. Nullam enim, ob quam h. l. illud καὶ, aut ut Baitero visum (in nuper vulgata Oratt. Att. edit. cur. Sauppio et Baitero, in 4°), allocutio ὦ ἄνδρες δικασταί, interponi possit, iustam reperio causam.

In seqq. verbis miror quod nullum interpretem, nisi Dobreum in advers., illud ἀδίκους, sive ἀδίκοις ut est in Codd. (ἀδικοῦσι est Reisk. coniectura), offenderit: si enim hoc voluisset Lysias, sine dubio ἠδικηκόσι scripsisset: de rebus iam diu praetermissis sermo est, et ubique verbum μνησικακεῖν cum perfecto coniungitur; cff. Lys. *de Bon. Publ. Nic. frat.*, Andocid. *de Myst.* p. 38 ibid. 39, et passim apud Demosthenem. Unde autem, ne iterum Lysiae commentatori atque interpolatori tribuamus, in textum irrepserit, certo statuere nequimus.

§. 10. p. 847 R. φάσκων συνεστάναι καὶ οὐ τὰ βέλ-

*τιστα βουλεύειν τῇ πόλει.* Particula negans cum in MSS. omittatur, sed necessario requiratur, a. V. V. D. D. textui est inserta; minus tamen probo particulam *οὐ*: scripsit sine dubio auctor *μὴ τὰ βέλτιστα*, ut iam MARKL. voluit. Non enim negabat CLEOPHON senatum populo consuluisse, sed pessime — *μὴ τὰ βέλτιστα* — consuluisse exprobrat. Hoc inter utramque negationis particulam discrimen, quod *οὔ* adhibeatur, ubi totum negatur effatum, quum *μὴ* tantum unam sententiae notionem neget. Cf. HERMANN. *Annot. ad Viger.* p. 107 sq. ed. sec., porro C. F. ANTON. in *diss. de discrimine part. οὔ et μὴ* (in Oratt. Sylvesst. quibus natalia illarum scholarum celebrantur, in Orat. a. 1823 habita). Neque BREMIUS discrimen locutionis *οὐ βουλεύειν τὰ βελτίστα* et *βουλεύειν μὴ τὰ βέλτιστα* tenuisse videtur. Eodem modo apud DEM. in *Aristog.* II. p. 806: *τοῦτον ὡς πράττοντα καὶ λέγοντα μὴ τὰ ἄριστα.* THUC. l. III. 84: *ἐν ᾧ μὴ βλάπτουσαν ἰσχὺν εἶχε τὸ φθονεῖν*, quamquam fortasse non magni THUCYD. locus est momenti, quum hoc Cap. 84 non immerito THUCYDIDI abiudicetur: cff. GOELL. annot. ad h. l.

Porro *τὰ βέλτιστα βουλεύειν* solennia iurisiurandi senatorii verba fuisse videntur: cf. in *Philon.* p. 869.

§. 11. p. 848 R. *πείθουσι Νικομαχίδην νόμον ἀποδεῖξαι ὡς χρὴ τὴν βουλὴν συνδικάζειν.* Quoniam ubique in hac Orat. reus NICOMACHUS, hoc unico loco NICOMACHIDES appellatur, MARKL *Νικόμαχον ἴδιον νόμον ἀποδεῖξαι κ. τ. λ.* legere vult; recte autem HEMSTERH. *ad Lucian. Tim.* §. 44 n. 31 monuit, non insolens esse, ut primitivum et patronymicum nomen in eadem obtineant persona, sententiam, quam pronuntiaverat ad POLL. VIII. 23, revocans. Laudatur etiam ipsa Orat. ab HARPOCR. his verbis: *ἐπιβολή, ὡς καὶ παρὰ Λυσίᾳ κατὰ Νικομαχίδου.* Addit FOERTSCH. in *Comm. Crit.* p. 341, HEMSTERHUSII sententia probata, forsitan hoc quoque non improbabile esse,

Lysiam Nicomachum reum h. l. cavillandi causa *Νικομαχίδην* vocasse, ratione patris conditionis habita. Causam tamen, quare h. l. reo obscuram imputaret originem actor, non assequor; maiori sane senatoribus, quam ipsi Nicomacho, erat dedecori, quod hominem tam vilis originis et conditionis tantam concessissent potestatem. Talis certe cavillatio, si revera est, aliis potius locis, quibus ipsum increpat Lysias Nicomachum, v. c. §. 3, 5, 18 et 19, convenisset.

Verbum sequens *συνδικάζειν* male interpretatus est Bremius in *prooemio huius Orat., penes senatum esse iudicium ferre.* Modo hoc significat, hac lege senatui una cum iudicibus suffragia ferre concedi, nam verbum *δικάζειν* sollenniter ab Oratoribus de iis dicitur, penes quos est iudicium — *δικάστας εἶναι* —. A grammaticis autem etiam usurpatur de illis, qui *ἡγεμονίαν τοῦ δικαστηριοῦ* habebant: cff. loci a Meier. et Schoem. l. l. p. 28 n. 5 laudati. De lege ipsa a Nicomacho Solonis nomine allata vid. Platner. *Proc.* vol. I. p. 62 sqq.

§. 12. p. 849 R. *Σάτυρος καὶ Κλεοφῶν οἱ τῶν τριάκοντα γενόμενοι.* Pro nomine proprio *Κλεοφῶν*, quod MSS. habent, Schottus et Taylorus legunt *Χρέμων* (cf. §. 14). Palmerius duos fuisse Cleophontes statuit, alterum popularem, unum e Triginta-viris alterum. In catalogo tamen Triginta-virorum, a Xen. *Hell.* II. 3, 2 nobis tradito, nec Satyrus neque Cleophon memorantur. Eadem, etiam si pro Cleophonte *Χρέμων* legimus, manet difficultas; quoniam Satyrus, quocum coniungitur, de numero Undecim-virorum et quidem *θρασύτατος τῶν ἕνδεκα καὶ ἀναιδέστατος* (Xen. *Hell.* II. 3, 4) fuit. Sed multi recentiorum scriptorum Triginta-virorum numero postea Satyrum adscriptum fuisse statuunt: cff. Heinrichs. *de Theram. Critia et Thrasyb.* p. 60, Ullrichs. *de Undecim-viris* p. 258, quos libros inspicere mihi non

licuit, eorum autem sententiam (quam probare videntur MEIER. et SCHOEM.) e libro de *Lite Att.* p. 69 in *Annot.* cognovi. Quod si probamus, facile, cum SCHOTTO *Χρέμων* legentes, locum interpretari possumus. Non enim probo editorum opinionem, qui hoc nomen per negligentiam a librariis repetitum fuisse putant, ideoque uncis incluserunt. Nam vereor, ut recte *καὶ ὅτι Σάτυρος καὶ οἱ τῶν Τριάκοντα γενόμενοι* dicatur: actor enim de tempore, quo nondum Triginta constituti erant, loquitur, et quo dicit temporis spatio, iam erant electi: requiritur igitur, si ultimum illud nomen proprium deleas, post *ὅτι* vel *ἔπειτα* vel *μετὰ ταῦτα*, ut sensus sit integer: SATYRUS et ii qui postea Triginta-viri facti sunt.

§. 13. p. 850 R. *ὠργίζεσθε.* Hanc STEPH. coniecturam pro vulg. lectione *ὀργίζεσθε* Codices Laur. et Palat. (C. et X.) a BEKKERO collati, confirmant.

§. 14. p. 850 R. *Στρομβιχίδης.* Codd. Laur. BEKK. *Στρομβιχίδης.* Vid. de literarum *μ* et *β* confusione BREMIUS in *Variis Lect.* ad h. l. et BASTII *Dissert. Palaeogr.* p. 708 ibi citata. De ipso STROMBICHIDE nonnulla a BREMIO in *Annot.* sunt collecta. In seqq. verbis *ἕτεροι πολλοὶ καὶ κἀλοι κ' ἀγαθοὶ τῶν πολιτῶν* recte, ne particula haec deleatur, monet MARKLANDUS, duos DEMOSTH. cum duplici particula copulativa *καὶ* locos (in *Steph.* Orat. I. et *adv. Timoth.*) citans. Cf. porro MATTHIAE *Gramm. Graec.* p. 998 §. 444 n. 4 ed. tert.

§. 15. p. 850 R. *εἰ μὴ ἠσθανόμην αὐτὸν — πειράσεσθαι — καὶ — χρησόμενον.* Infinitivum *πειράσεσθαι*, qui REISKIUM, et quidem non sine causa, offendit, FRANZIUS l. l. p. 273 defendere conatus est. E PLATONIS nempe *Phaedro* p. 235 C. et THUCYD. VI. 59 exemplum citat, ubi verbum *αἰσθάνεσθαι* infinitivus sequitur, loco participii, quocum aliis locis constanter coniungitur: vid. MATTH. l. l. §. 549 n. 4, p. 1273 ed. tert., et BERNHARDYI

*Synt. ling. Graec.* p. 477. Quos locos etsi integros esse concedimus, modum tamen, quo hunc usum explicat Vir Doct., probare vix ausim: dicit nempe: »Interdum post verbum αἰσθάνεσθαι infinitivus sequitur, ubi vicem gerit aut verbi ἡγεῖσθαι, ut in PLAT. loco *Phaedr.* p. 235 C. — aut verbi πυνθάνεσθαι s. ἀκούειν, ut in THUCYD. VI. 59." Sed omnibus in locis, etiam in ipsis, quos offert FRANZIUS, magnum idemque πυνθάνεσθαι inter et αἰσθάνεσθαι est discrimen: hoc significat *sentire*, *considerare*, *meditari*, illud simpliciter *animadvertere*. In nostro LYSIAE loco non dubito, quin pro infinitivo πειράσεσθαι restituendum sit participium πειρασόμενον. Suadet hoc etiam part. sequens χρησόμενον, quod particula copul. καί cum ᾐσθανόμην coniungitur. Sententia enim FRANZII, »in seqq. deinceps, quae est Graecorum celeritas cogitandi, ad primitivam vim verbi αἰσθάνεσθαι, quae participium requirit, accommodatam esse orationem," mihi improbabilis videtur. Alia saltem exempla requiro. Nam quae citat Vir Doct., aliter explicanda arbitror. Locum illum, qui est in LYS. *Orat. in Erat.* p. 446, iam optime explicuit BREMIUS in *Excurs.* III. *ed. Lys.* In PLATON. *Symp.* p. 233 C. infinitivus ἐγρηγορέναι καὶ πίνειν non ad ἰδεῖν referendum videtur, sed ad id quod praecedit ἔφη, unde ipsum pendet ἰδεῖν. Neque plus valet exemplum ex AESCH. *Epist.* XI. p. 742 TAYL.: ultima enim καὶ ταῦτά γε καὶ τοὺς πατέρας ἡμῶν προσλομένους per epexegesin sunt addita, subauditurque, ut videtur, εἶδον vel ἑώρων vel simile quoddam verbum, ad quod etiam refertur postrema periodi pars. §. 15. p. 851 R. τῶν συγκαταλυσάντων τὸν δῆμον. Pro vulg. συγκαλεσάντων ita e coniectura TAYLORI et MARKL. editum est, quam BEKKERI Cod. Palat. (X.) confirmare videtur: ibi enim legitur συγκαλεσάντων Cff. §§. 12 et 14. §. 16. p. 851 R. ὥστε οὐδὲν εἰκὸς αὐτῷ τοῦτο ὑπόλογον γενέσθαι. Miror, quod locutio οὐδὲν εἰκός inter-

pretes non offenderit: οὐδέν adverbialiter positum in hac certe constructione alienum est; non dubito, quin locus ita sit legendus: ὥστε οὐδένα (ut Cod. Palat. Bekk. X habet) εἰκὸς αὐτῷ τούτου ὑπόλογον γενέσθαι (τούτου a τοῦτο fere in Codd. discerni non potuit, υ enim propter seq. υ in voce ὑπόλογος absorbebatur). Cf. Dem. in *Aristog.* I. p. 790: εἰ δὲ μηδένα τούτων ὑπόλογον ποιεῖται; in *Theocr.* p. 1329: νῦν δὲ τούτων οὐδεμίαν ὁρῶ τῶν σκήψεων ὑπόλογον οὖσαν ἐν τοῖς νόμοις. Cf. etiam Dinarch. apud Harpocr. s. v. ὑπόλογος: οὐδεὶς ὑπόλογος βουλῇ γέγονεν.

In seq. eadem §. p. 852 R., ἔτι δὲ καὶ δεινόν, perperam, puto, Augerus particulam καί delere vult; coniungitur enim cum antecedenti periodo, ut auctor dicat: non modo iustum, huius rei — τοῦ φεύγειν — nullam rationem illi haberi: sed praeterea etiam turpe esset, caet. Neque τοῦτο post καί addendum, quod Reiskius suadet; vid. modo initium §. 9.

§. 17. p. 853 R. ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν ὅπλων κατὰ τὰς συγγραφάς. Vid. supra ad pag. 57 et sqq.

§. 17. p. 854 R. ἦπον σφόδρα ἐκείνους ἡγῇ ἀδικεῖν. Pro ἀδικεῖν Bekkerus ἀσεβεῖν legendum suadet: cui Franzius »quantum ego coniicio, sine causa, si reputaveris universale, quod vocant, iudicium esse, cf. Orat. *in Andocid.* §. 3 et 17.» Sed verbum ἀδικεῖν significat contra id, quod lege constitutum sit, peccare, sive aliquid, lege vetitum, facere, cf. §. 21, ita ut h. l., ubi de maioribus sermo est, qui tantum sacrificia ἐκ τῶν κύρβεων celebrabant, quoniam reliquae Dies consecratae feriae nondum erant institutae, valde dubitem, an ἀδικεῖν recte dici possit: exempla saltem, quae Franzius ex Orat. in *Andocid.* citat, nihil probant, quia de Andocide aliisque, quibus Hermarum mutilatio exprobratur, agitur, de quibus ἀδικεῖν optime dici potuit. Maiores autem ἀσεβῆσαι, i. e. minus εὐσεβεῖς

fuisse, quia parcius sacrificassent, reus conviciari posset.

§. 18. p. 154 R. *οἱ τοίνυν πρόγονοι — τὴν πόλιν παρέδοσαν, ὥστε ἄξιον ἡμῖν — καὶ εἰ μηδὲν δι' ἄλλο, τῆς τύχης ἕνεκα κ. τ. λ.* De veterum Graecorum in sacris celebrandis parsimonia vidd. Isocrat. Orat. *Areop.* p. 143, *Cor. in Nicocl.* p. 16 *Cor.*, Boeckh. *Oec. Civ.* Vol. I. p. 226 sqq.: conferri porro possunt Cic. *de Legg.* II. c. 16 et Xenoph. *Mem.* I. cap. 3 §. 3. In verbis *τὴν πόλιν παρέδοσαν ὥστε ἄξιον ἡμῖν* (Cod. Laur. C. *ὑμῖν* habet) Augerus ante *παρέδοσαν* addere vult *ἡμῖν*, et quod legitur post *ἄξιον* mutandum censet in *ἡμᾶς*. Baiterus *παρέδοσαν ἡμῖν, ὥστ' ἄξιον τὰς κ. τ. λ.* Vulgata tamen lectio, ni fallor, bene se habet. In seqq. verbis *εἰ μηδὲν δι' ἄλλο, τῆς τύχης ἕνεκα κ. τ. λ.* Sluiterus post *τῆς* particulam *γε* addere vult: quod, ut mihi quidem videtur, minus necessarium est. Cff. de formula *εἰ μηδὲν ἄλλο* et *διὰ μηδὲν ἄλλο* Viger. *de Idiot. Ling. Graec.* p. 476 sq. et 532 ed. sec., Matthiaei *Gramm. L. G.* §. 488 p. 1086 ed. tertiae: porro Ann. Amersfoordtii ad Demosth. *Orat. de Symmor.* p. 181 (in Schaeff. *App. Crit. ad Dem.* tom. I. p. 751), Heindorf. ad Plat. *Theaet.* p. 195 E. et Plat. *Apol. Socrat.* cap. 5.

§. 19. p. 854 R. *ἐκ τῶν προσιόντων χρημάτων.* Vix necesse est memorare, Contium in superioribus ante *δυνησόμεθα* addi *ἄ* voluisse — cf. etiam Dobreus in Advers. ad h. l. — quod nisi supervacaneum, certe minus necessarium puto. In his verbis *προσιόντων* e coniectura est Reiskii, ut etiam eadem §. p. 155 R. *τὰ προσιόντα χρήματα*, pro *προσόντα*, quod Codd. habent.

De his sacrorum reditibus supra pag. 57 pauca annotavimus, hoc loco tamen quaedam addere non abs re puto. Annotat Bremius, Harpocrationis loco *ἀπὸ μισθωμάτων* citato: »erant igitur *ἱερὰ κτήματα, ἐξ ὧν αἱ θυσίαι τοῖς θεοῖς ἐγίνοντο*"; male tamen Didymum in

hoc HARPOCRATIONIS loco ἀπὸ μισθωμάτων interpretatum esse *ex vectigalibus templorum*, recte ostendit VALESIUS in *Ann. ad notas Maussaci ad Harpocr.*: sine dubio cum viro egregio illud interpretari debemus *ex locatione*, nempe ut Magistratus hostias omnemque sacrificii pompam ei, qui minoris licitatus esset, locassent (cff. LEX. SEGUER. p. 207 et 432: ἀπὸ μισθωμάτων θύειν: οἱ Ἀττικοὶ ἔλεγον οὕτω δημοσίας θυσίας, ἃς ἐργολαβοῦντες ἐτέλουν). Neque merito, si ex reditibus templorum conductis sacrificarent, ab ISOCRATE p. 143 *Cor.* reprehenderentur Athenienses. Praeterea patria sacrificia et adscititias ferias e publicis reditibus procuratas fuisse, et quae reliqua essent, eodem rediisse, satis probant, quae actor reo exprobrat (§. 21): ὅτι ἐν δυοῖν ἐτοῖν πλείω ἤδη τοῦ δέοντος δώδεκα ταλάντοις ἀνάλωσε: vid. Cl. BAKIUS in *Bibl. Crit. Nov.* Vol. V. p. II. p. 467; aliter autem censet BOECKH. *Oec. Civ.* Vol. I. p. 226. Agrorum sacrorum reditus, quorum DIDYMUS apud HARPOCR. l. l. mentionem facit, ut ipsa Deorum templa curarentur et integra servarentur, adhibitos fuisse, puto.

— ἐν δὲ ταῖς πατρίοις θυσίαις ἐπιλείπειν (haec lectio a REISKIO pro ἐπιλιπεῖν, quod ex Ed. *Steph.* in *Taylorianam* transierat, e Codd. Coisl. et Vindob. est revocata: necessario enim ob antecedens ἀναλίσκεσθαι requiritur praesens). Idem queritur ISOCRATES in *Areop.* l. l. οὐδ' ὁπότε μὲν δόξειεν αὐτοῖς — Maioribus — τριακοσίας βοῦς ἔπεμπον, ὁπότε δὲ τύχοιεν, τὰς πατρίους θυσίας ἐξέλειπον· οὐδὲ τὰς μὲν ἐπιθέτους ἑορτὰς, αἷς ἑστίασίς τις προσείη, μεγαλοπρεπῶς ἦγον κ. τ. λ., ubi illud πέμπειν τριακοσίας βοῦς de sacrificiis quae Athenienses in externa templa, v. c. Delphici APOLLINIS, aliorumque Deorum miserunt, intelligendum est: cff. WOLFII et BERGMANNI adnot. ad h. l.

§. 20. p. 855 R. ἱερὰ ἄθυτα — ὡς οὐχ ἱκανὰ ἦν ἃ προσῆλθε τῇ πόλει. Ultima verba ἦν ἃ ex εἶναι, ut est

in M38., MARKLANDUS emendavit: minus necessariam puto AUGERI emendationem pro τῶν ἐν ταῖς πύρβεσι γεγραμμένων legendum suadentis τὰ — γεγραμμένα; nam genitivus ad praecedens τριῶν ταλάντων referendus est. De interpretatione verborum ἱερὰ ἄθυτα supra pag. 9 diximus: sunt enim *sacrificia non acta, intermissa*, oppo-nunturque ἱεροῖς τεθυμένοις.

§. 20. p. 856—858 R. εἴς τε τὰς θυσίας τὰς πατρίους ἂν ἐξήρκεσε, καὶ τρία τάλαντα ἂν περιέγενετο τῇ πόλει. A BEKKERO particula τε edita est; utrum ipsius sit coniectura, an lectio Codd., quos contulit, non notavit; satis tamen particulae γε, quam STEPHANUS et Codd., ante BEKKERUM collati, habent, praeferendam puto. In seqq. autem minime AUGERI admittenda est emendatio, legentis — ἂν ἤρκεσε τρία τάλαντα, καὶ ἐξ ἂν περιεγένετο; sed satis accurate disputat actor: NICOMACHUS praeter sa-crificia patria τριῶν ταλάντων, quae pecuniae defectu in-termissa sunt, alia, quae sex constitissent talentis ad-scripserat; quod nisi fecisset, non modo ταῖς πατρίοις θυσίαις suffecisset pecunia, sed τρία τάλαντα ἂν περιε-γένετο.

§. 21. p. 858 R. καὶ τούτοις ὁ ἱερόσυλος περιτρέχει, λέγων ὡς εὐσέβειαν ἀλλ' οὐκ εὐτέλειαν ἀνέγραψε. Dati-vum hunc absolutum τούτοις BREMIUS ita defendere vo-luit, quasi esset dativus instrumenti, id indicans, quod incitaverit hominem ad discurrendum: cf. HERMANN. ad *Viger.* l. l. p. 882. Dubito tamen, an ullo loco apud so-lutae Orationis scriptores dativus eo usu reperiatur. REIS-KIUS καίτοι οὗτος ὁ ἱερόσυλος, et JACOBSIUS in *Addit. Animadv. in Athen.* p. 320, κἄτα οὗτος voluerunt: minus recte credo. Melius certe MARKLAND., quem multi se-cuti sunt interpretes, ut DOBREUS in *Advers.* et FRAN-ZIUS l. l., legit καὶ ἐπὶ τούτοις i. e. *ob haec facta*: cf. Orat. in *Andoc.* p. 252 et aliorum auctorum loci a FRAN-

mio p. 273 citati; quamquam plane tamen probare nequeo: nam, etiamsi Lysias et reliqui Oratores ἐπὶ τούτοις, *ob haec facta*, dixerunt — Lysiae locutionis auctoritatem Orat. *in Andoc.* citare non ausim — vereor ut in hunc locum conveniat; dicit actor in antecedentibus, multa sacrificia, si sacra secundum columnas, a reo compositas, celebrarentur, intermitti necesse esse: hoc igitur non εὐσεβείας documentum, quod ex Marklandi emendatione fit, a reo citari potuerit. Eam fortasse ob causam Foertsch., l. l. pag. 37, suspicatus est καὶ ταύταις (i. e. καὶ ἐν ταύταις ταῖς στήλαις). Quae melius placerent, si mihi persuasum esset, ὡς εὐσέβειαν ἀλλ' οὐκ εὐτέλειαν germanam esse lectionem; sed cum Sluitero et Dobbeo utrique substantivo praepositionem addendam puto, totumque locum ita legendum propono: καὶ ταῦτα ὁ ἱερόσυλος περιτρέχει λέγων ὡς εἰς εὐσέβειαν ἀλλ' οὐκ εἰς εὐτέλειαν ἀνέγραψε, i. e. atque sacrilegus iste discurrit dicens, se haecce — sacra e columnis, ἃς οὗτος ἀνέγραψε — ad pietatem augendam, sed non ad sordidam parsimoniam adscripsisse.

§. 21. p. 859 R. εἰ δὲ μή. Ita a Bekkero e Cod. Laur. C. pro vulg. καὶ εἰ μή editum est.

§. 22. p. 860 R. καὶ Λακεδαιμονίους — τὰ τείχη περικαταῤῥέοντα. Spectat Orator facta post pugnam apud Aegos Potamon, quum illi, qui popularem imperii formam retinere cupiebant, urbe a Triginta-viris occupata, Piraeeum occupatum tenerent, indeque quavis occasione τοὺς ἐν Ἄστει oppugnarent, et quum a Triginta-viris legati Lacedaemonem mitterentur, qui, ut sibi auxilium ferrent, peterent, quorum causae Lysander ξυνέπραξεν, ἑκατόν τε τάλαντα αὐτοῖς δανεισθῆναι καὶ αὐτὸν μὲν κατὰ γῆν ἁρμοστὴν, Λίβυν δὲ τὸν ἀδελφὸν ναυαρχοῦντα ἐκπεμφθῆναι (Xenoph. *Hell.* II. 4, 19). Cf. Plutarch. in *Vit. Lysand.* p. 445 F., Lys. in *Eratosth.* p. 422 in fine.

Triginta-viris eiectis et libertate recuperata, Lacedaemonii, ut populus restitueret, exigebant: quam rem Isocrates in *Areop.* p. 153 memorans, ὃ πάντων κάλλιστον καὶ μέγιστον τεκμήριον τῆς ἐπιεικείας τοῦ Δήμου citat, quod ἐκκλησίας γενομένης περὶ ἀποδόσεως τῶν χρημάτων καὶ λεγόντων πολλῶν, ὡς δικαιόν ἐστι διαλύειν τὰ πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους, μὴ τοὺς πολιορκουμένους, ἀλλὰ τοὺς δανεισαμένους, ἔδοξε τῷ Δήμῳ, κοινὴν ποιήσασθαι τὴν ἀπόδοσιν. Cf. Dem. in *Lept.* p. 460.

Secundo loco Orator de vexatione Boeotiorum, quod iis debita duo talenta ab Atheniensibus reddita non essent, loquitur. Quid sit σῦλα ποιεῖσθαι, i. e. ius talionis sibi vindicare, optime ex Dem. Orat. in *Lacrit.* pag. 927 cognoscitur, ubi in pacto — συγγραφή — quod Androcles Atheniensis cum Artemone Phaselitarum mercatore inierat; inter alias conditiones, quibus pecunia nautica mutuo data erat, haec memoratur: mercatori licere navem exonerare ὅπου ἂν μὴ σῦλαι ὦσιν Ἀθηναίοις. Vid. Harpocr. s. v. Σῦλαι et Vales. in *adn. ad h. l.*, Salmas. *de M. U.* p. 213, Herald. in *Observ. l. l.* L. II. c. XX, Lex. Seguer. p. 305; et de hoc Dem. loco imprimis Boeckh. *Oec. Civ.* vol. I. p. 135 et Wachsm. *Ant. Hell.* II. I. 227 sq. Iis nempe, qui iniuriam a peregrinis accepissent, aut ab iis spoliati essent, et restitutionem a civitate, cuius spoliatores cives essent, obtinere nequirent, concedebatur ius par pari referendi — σῦλα sive σύλας διδόναι — ita ut his liceret talis civitatis incolarum bona, ubicunque invenirent, capere atque diripere. Sic in Dem. Orat. modo cit. p. 931 actor, postquam reum neque pacto obediisse neque pecuniam mutuo sumtam reddidisse exposuit, conqueritur, ita ab eo secum actum esse, ὥσπερ δεδομένων συλῶν Φασηλίταις κατὰ Ἀθηναίων: ipseque haec verba explicat, addens: ἐπειδὰν γὰρ μὴ ἐθέλωσιν ἀποδοῦναι, ἃ ἔλαβον, τί ἄλλο τις ἔχοι ὄνομα θέσθαι τοῖς

χρεούτους, ἢ ὅτι ἀφαιροῦνται βία τὰ ἀλλότρια. Cf. Dem. Orat. *de Coron. Trier.* p. 1232, ubi coniungitur cum ἀνδραποδισμός, quod erat ius homines ex iis civitatibus, contra quas datum erat hoc ius, quocumque loco apprehendi possent, tanquam hostes capiendi: cf. Hug. Grotius *de J. B. ac P.* III. 2, 3. His Lysiae verbis patet, quanta in pecuniae inopia post Triginta-virorum dominatum Athenienses versati sint, ita ut ne duo quidem talenta solvere possent. Cf. porro Boeckh. *Oec. Civ.* l. II. p. 127, ubi talis civitatum Graecarum penuriae multa citantur exempla.

Denique actor τοὺς νεωσοίκους καὶ τὰ τείχη περικαταῤῥέοντα memorat: hoc etiam sub Triginta-viris factum esse, patet ex Orat. in *Eratosth.* pag. 446 et in *Agor.* p. 471. Diligenter autem hanc rem tractat Isocrat. in *Areop.* p 153, unde videmus, navalia, quorum aedificatio non minori quam mille talentis Reipublicae constiterat, tribus talentis Triginta-viros destruenda vendidisse. Cf. *Bibl. Crit. Nova*, Vol. V. pag. 485, ubi nonnulla de navalibus eorumque historia a Cl. Bakio annotata sunt; et de publicis operibus, quae magno sumtu constabant, operae est pretium conferre Boeckh. l. l. vol. II. pag. 215.

§. 22. p. 861 R. ὅτι ἡ βουλὴ ἡ βουλεύουσα. Certe, ut iam Sluiterus et Dobreus monuerunt, ante βουλεύουσα ponendum est ἀεί: cff. quae §. seq. dicit: χρὴ τοίνυν, ὦ Ἀνδ. Ἀεκ., μὴ τοῖς βουλεύουσιν ἐκάστοτε ὀργίζεσθαι ἀλλὰ κ. τ. λ. Vid. Meier. *de Bon. Damn.* p. 174. Eadem locutio, ἡ βουλὴ ἡ ἀεὶ βουλεύουσα, recurrit apud Andoc. *de Myst.* pag 44. De re ipsa, de qua h. l. Orator queritur, vid. Boeckh. l. l. vol. I. p. 234. In seqq. etiam ante πονηρότατα adiiciendum puto τά.

§. 23. p. 861 R. τοῖς εἰς τοιούτας ἀπορίας καθιστᾶσι τὴν πόλιν, προσέχουσι τὸν νοῦν οἱ βουλόμενοι κ. τ. λ. Sic a Reiskio emendatum est pro eo, quod MSS. et anti-

quiores Editiones habent καθιστῶσι. Maiorem difficultatem sequentia verba προσέχουσι τὸν νοῦν κ. τ. λ. offerunt. Reiskii enim et Bremii sententiam, qua abrupta haec argumentatio per asyndeton explicatur, hoc loco propter novum, quod actor affert, accusandi argumentum ferri nequit. Neque Virorum Doct. emendationes hunc locum integrum reddiderunt: legendum nempe proposuit H. Steph. οἷς προσέχουσι, Tayl. οἳ προσέχουσι, Markland. προσέχουσι γὰρ τὸν νοῦν. Sed, ut modo dixi, novum hic incipit accusationis caput. quare aliquid, quo hoc indicatur, inserendum puto; v. c. προσέχουσι δὲ καί vel simile quid; nam quod Dobraeus in *Advers.* suspicatus est, verba inde a προσέχουσι usque ad § 25 p. 863 R., quia nimis abrupta mentio fiat κλοπῆς, quae proprie ad Nicomachum non pertineat, ex Orat. in *Epicrat.*, ubi pag. 810 et 811 fere eadem memorantur, illata esse, nimis mihi videntur audax; nam Orator respicit id, quod in initio orationis (§. 1) dixerat: reum pro quatuor mensibus sexennium retinuisse munus, καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀργύριον λαμβάνοντα: cff. §. 25 et 26: καὶ τῶν ὑμετέρων πολλὰ ὑφήρηται. Praeterea donis corruptum Nicomachum legem fictam protulisse, ex verbis (§. 25) οὗτοι δ' ἐπὶ τῇ τῶν νόμων ἀναγραφῇ καὶ τῶν ἱερῶν δῶρα λαμβάνοντες εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον τὴν πόλιν ζημιοῦσι, satis est perspicuum.

§. 23. p. 862 R. αὐτῷ τιμήσητε. Sic recte a Reiskio editum est, pro vulgato αὐτόν. Semper enim τιμᾶν, si litem aestimandi notionem indicat, cum dativo personae et genitivo rei construitur: cf. Reisk. *Ind. ad Dem.* s. v. Accusativus ex eo profectus videtur, quod nonnulla MSS. pro τιμήσητε habent τιμωρήσητε; Cod. Vindob. autem αὐτῶν praebet, ubi ι subscriptum transiit in ν, quod saepe librariorum negligentia factum esse, Bremius in annot. ad h. l. et alii passim docuerunt.

§. 24. p. 862 R. *τίς οὖν τῶν ἐν τῇ πόλει ἐπιτηδειότερος Νικομάχου δοῦναι δίκην*; De usu adiectivi *ἐπιτήδειος* de eo, qui dignus sit, ut poenam accipiat, vid. Wyttenb. *Bibl. Crit.* vol. III. part. 12 pag. 301 seqq. *in ann. ad Xenoph. Anab.* II. 3, 7.

§. 25. p. 862 R. *ὃς καὶ τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν ἀναγραφεὺς γενόμενος εἰς ἀμφότερα ταῦτα ἡμάρτηκεν*. Hunc locum tentavit Taylorus, pro *ὁσίων* scribens *δημοσίων*, quia alia esse *τὰ ὅσια* alia *τὰ ἱερά* Vir egregius negabat; quam tamen emendationem, admonitus a D'Orvillio in *Charit. Aphrod.* l. I. c. X. p. 112, ad Aeschin. in *Timarch.* (pag. 19 suae ed., p. 44 *Reisk.*) revocavit, ingenti locorum copia docens, illa ad religionem, haec ad Rempublicam pertinere. Hanc interpretationem multi sane veterum Grammaticorum loci confirmare videntur, vidd. Timaei *lex. Platon.* p. 196 ed. *Ruhnk.*, Lex. Seguer. p. 288, Harpocrat. s. v., porro Suidas, Hesych. et Photius ibique interpretes, Valcken. ad Ammon. p. 184 et Ruhnk. *ad* Timaei *lex. Platon.* l. l. Ex his tamen Grammaticorum testimoniis hoc modo colligi potest, alios *τὰ ὅσια* et *τὰ δημόσια* confudisse, aliis de vocabulorum vi et significatione non constitisse, ut Didymo apud Harpocr.: *ἔλεγον τὸ ὅσιον τό τε ἱερὸν καὶ τὸ ἰδιωτικόν*: sic v. c. apud Aristoph. in *Lysistr.* vs. 743, in verbis:

*ὦ πότνι' Εἰλείθυι' ἐπίσχες τοῦ τόκου*
*ἕως ἂν εἰς ὅσιον μόλω 'γὼ χωρίον*,

Scholiastes *ὅσιον* explicat *εἰς βέβηλον καὶ μὴ ἱερόν, ἀλλ' ὅσιον εἰς τοκετόν· ἐπειδὴ ἐν τῇ Ἀκροπόλει ἦσαν*. Quocum convenit Photius s. v. *ὅσιον χωρίον*: *τὸ βέβηλον καὶ μὴ ἱερόν, εἰς ὃ ἔξεστιν εἰσιέναι*. In Lex. Seguer. pag. 323 contra s. v. *ἀβέβηλος* dicitur — *βέβηλα δὲ ἔλεγετο τὰ μὴ ὅσια μηδὲ ἱερά* et alibi passim. Quod sane mirum non est: multis enim locis *τὸ ὅσιον* opponitur *τῷ ἱερῷ*, quamquam *ὅσιοι* dicuntur homines sancti, pii ac religiosi, *εὐ-*

ἀσεβεῖς, δυσσεβεῖς, et ὅσιον vocatur τὸ δίκαιον, τὸ εὐσεβές et sic porro: cf. SCHOEM. *de Com.* pag. 298, PLATON. in *Euthyphr.* p. 12. E., ubi τὰ εὐσεβῆ καὶ τὰ ὅσια coniunguntur, pluraque eiusmodi exempla ad D'ORVILLII *Char. Aphrod.* l. l. Unde fit, ut ὅσια dicantur omnia quae religionem ac pietatem spectent, et substantivum ἡ ὁσία ipsum sacrorum ritum designet. Haec verba igitur, si sibi invicem opponuntur, ita explicentur, ut ἱερά externum Deorum cultum, omniaque quae ad eum pertineant, indicent; ὅσια autem pietatem Deorumque reverentiam significent. Si autem coniunguntur, duobus hisce verbis complectuntur omnia sacra et profana, divina et humana, quorum inter omnes cives communione societatis et civitatis fructus commodumque censebantur, ut sacra publica, sacerdotia, templa, aerarium, honores, iudicia, caetera: cf. WACHSMUTHII interpretatio, cuius ipsa hic citem verba (*Ant. Hell.* Vol. II. I. pag. 3): »das letztere Wort — ὅσια — enthält den höhern Begriff, nehmlich des durch Staatsrecht, Staatssorge und Oeffentlichkeit verburgten; jenes — ἱερά — bezeichnet das durch Religion und Priesterthum noch insbesondere geweihte." Horum verborum ambitus optime cognoscitur e psephismate de Plataeensibus lato, apud DEMOSTH. in *Neaer.* p. 1380: μετεῖναι αὐτοῖς — Plataeensibus — ὥνπερ Ἀθηναίοις μέτεστι, πάντων καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων; et in *Aristocr.* pag. 632: πρῶτον μὲν τῆς πατρίδος, καὶ τῶν ἐν ταύτῃ πάντων καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν: apud ANTIPHONT. pro *caede Herod.* pag. 734: ἀπεστέρει δὲ αὐτὸν ἱερῶν καὶ ὁσίων, καὶ τῶν ἄλλων, ἅπερ μέγιστα καὶ περὶ πλείστου ἐστὶν ἀνθρώποις. Cff. porro DEM. in *Timocr.* pag. 703, 730, 732 et 735, aliique loci, quos TAYL. ad AESCHIN. in *Timarch.* l. l. collegit; quibus autem non hoc indicatur, quod TAYLORUS assequi volebat, ἱερά ad religionem, ὅσια ad rempublicam pertinere — cui etiam POLL. VIII, 96 obstat, quum

dicit, in secunda cuiusque Prytaniae populi concione *περὶ τῶν ἰδίων καὶ τῶν δημοσίων*, in quarta autem *περὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων* consultum esse, i. e. de omnibus illis, quibus res sacrae iuraque publica et privata continerentur —; namque in iis locis ea verba adeo coniuncta sunt, ut revera, nisi vis et significatio verborum mutetur, separari nequeant. Ut verbo dicam, est formula, quae totam complectitur rempublicam, ut e psephismate de civitate Plataeensibus danda, supra allato, perspicuum est. Quae si vera sint, huius LYSIAE loci interpretatio BERGKII in *Epist. ad calc. Andocidis edit. Schill.* p. 154, haec verba ita intelligere volentis, ut *τὰ ὅσια* ad prius NICOMACHI munus, quum SOLONIS leges describere ei esset mandatum, *τὰ ἱερά* ad posterius, quum ad leges de sacris celebrandis esset electus, referantur, non est admittenda: nam vocabulo *ὁσίοις* non simpliciter leges intelligi, et e locis citatis, et ex PLUT. in *Vit. Thesei* p. 11 F.: *Εὐπατρίδας — νόμων διδασκάλους εἶναι, καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἐξηγητάς*, colligi potest.

Ipsa autem locutio *τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν ἀναγραφεύς* mihi displicet: vereor enim, ut, si supra disputata probentur, recte dici possit *ἀναγράφειν τὰ ὅσια καὶ τὰ ἱερά*: minus etiam ea quae adduntur, *εἰς ἀμφότερα ταῦτα ἡμάρτηκεν*, conveniunt: locis enim allatis haec verba coniuncta totam notant rempublicam, ita ut in duas, ut ita dicam, partes discerni nequeant. Ne quis obiiciat DEM. in *Timocr.* pag. 737, ubi separatim vocabula illa explicantur, dicere sufficit, eo loco de pecunia ad sacra et profana pertinente agi: eodem modo in *Timocr.* pag. 702 et 730. Si hanc igitur notionem Orator noster exprimere voluisset, simpliciter, ni fallor, *εἰς ταῦτα* dixisset. Quas ob causas legere vellem *νόμων*, quo simul prius eius legum SOLONIA describendarum munus notatur; quae emendatio etiam iis, quibus LYSIAS haec verba amplius circumscribit, *οὗτος*

δ' ἔπὶ τῇ τῶν νόμων ἀναγραφῇ καὶ τῶν ἱερῶν δῶρα λαμβάνοντες εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον τὴν πόλιν ζημιοῦσι confirmatur.

§. 25. p. 863 R. οὗτοι δ'. In Edit. STEPH. Codd. auctoritate est οὗτοί τ', in margine autem adscriptum δ' — quod necessario propter antecedens μέν requiritur —, et hanc STEPHANI emendationem Codd. a recentioribus collati confirmaverunt. Pluralem οὗτοι minus recte nonnulli sic explicuerunt, ut NICOMACHUM eosque, qui cum illo, ut leges describerent, electi essent, intelligerent; obstat nempe locus apud ANDOC. *de Myst.* p. 40, de quo vide supra pag. 27 sq. disputata. Videtur οὗτοι h. l. idem quod τοιοῦτοι valere, aut eodem modo, quo infra §. 30, explicandum esse.

§. 26. p. 863 R. ἀλλ' ὅτι χρήματα — ἀλλ' οὐχ ὅπως κ. τ. λ. E coniectura MARKLANDI χρήματα editum est pro dativo χρήμασι, quam coniecturam Cod. Laur. (BEKK. C.) confirmavit. De formula οὐχ ὅπως vidd. VIGERUS *de Idiot. ling. Graec.* p. 432 et HERMANNI *Annot.* pag. 790 ed. sec., et SCHAEFF. ad *Ell. Graec.* BOSII p. 775.

§. 28. p. 864 R. οἱ μὲν πρόγονοι νομοθέτας ἥρουν Σόλωνα καὶ Θεμιστοκλέα καὶ Περικλέα — ὑμεῖς δὲ Τισαμενὸν τὸν Μηχανίωνος καὶ Νικόμαχον κ. τ. λ. Quamquam frequentes leges a THEMISTOCLE et PERICLE latas esse, satis cognitum est, legislatorum tamen dignitatis, iis ut SOLONI tributae, in historia frustra quaeritur diserta mentio. Sed tota haec periodus ad iudicum odium augendum oratorie est composita, ut Graecorum facile principes, SOLON, THEMISTOCLES et PERICLES, cum NICOMACHO, cuius munus etiam amplificat actor, compararentur. In ultimis verbis edit. STEPH. ante Νικόμαχον articulum τόν habet: recentiores omittunt, valde tamen placeret, contemtuique, quo haec pronuntiata sit sententia, conveniret, si pro illo τόν legimus τοῦτον; sine Codd. tamen auctoritate addere nolim.

§. 28. p. 864 R. καὶ τὰς μὲν ἀρχὰς ὑπὸ τῶν τοιούτων ἡγεῖσθε διαφθείρεσθαι, αὐτοὺς δὲ τούτοις πιστεύετε. In Editt. αὐτούς, quae est coniectura MARKLANDI, pro αὐτοῖς, ut in Codd. offertur, editum est. A SLUITERO autem animadvertitur, eo sensu nunquam apud LYSIAM verbum πιστεύειν sed ἐπιτρέπειν reperiri: et recte quidem, vidd. LYSIAE loci a FRANZIO in *Annot.* p. 274 laud. et EMPERIUS in *Observv.* l. l. pag. 44 sq.: nam frequentissimum illud πιστεύειν τινί τι eo sensu reperitur apud recentiores scriptores, ATHENAEUM, PLUTARCHUM, aliosque, vix tamen ullo exemplo antiquioris scriptoris confirmatur; quare SLUITERUS, quem FRANZIUS secutus est, legendum suadet αὐτοὶ δὲ τούτοις πιστεύετε. Praestat tamen cum EMPERIO l. l. Codicum lectionem αὐτοῖς defendere, interpretando: *Magistratus a talibus corrumpi existimatis*, i. e. magistratibus propter tales homines non habetis fidem — *ipsis vero istis fidem habetis.*"

§. 29. p. 865 R. ὃ δὲ πάντων δεινότατον, ὅτι ὑπογραμματεύσι κ. τ. λ. De hoc loco sufficit FOERTSCHII in *Comm. Crit. laud.* p. 37 annotationem describere: »non probo quod BEKKERUS post δεινότατον e solo libro C. ὅτι in textum recepit. Illum librum optimum esse Codicum LYSIAE non infitior, sed tamen caute eo utare pervelim: namque e vestigiis satis manifestis perspici potest, permultis eum locis correctiones viri cuiusdam sanequam docti linguaeque Graecae satis periti praebere (cf. ut unum tantummodo nunc exemplum afferam, Orat. XII in *Eratosth.* §. 48 B. p. 415 R.: ἄλλων δὲ πολλῶν, ubi pro ἄλλων in C. legitur κακῶν, quod mihi, ut BREMIO, glossema esse videtur). Sic hoc loco ab illo viro, non ignorante, post ὃ δὲ δεινότατον et similia ὅτι vel γάρ poni solere, ὅτι illatum esse arbitror. Ab optimis vero scriptoribus haec in formula nonnunquam nec γάρ neque ὅτι est positum, cf. DEM. Orat. in *Lept.* §. 152 B. p. 503 R.

Vid. Wolf. ad h. l., qui affert Dem. *Midian.* §. 79 B. p. 54 R., et Bremius ad Dem. II. *Philipp.* p. 6 vs. 16 (*App. Crit. et Exeg.* ed. Schaef. T. I. p. 408)." Cui Foertschii sententiae addantur, quae de h. vs. Dobreus in *Advers.* annotavit. Cf. porro de auctoritate Cod. Laur. (C. Bekkeri) A. Emperii *Observ. in Lys.* l. l. pag. 1—8.

De interpretatione vocabuli *δίς* iam supra pag. 31 in not. monuimus.

§. 30. p. 865 R. *καὶ τὸ τελευταῖον Νικόμαχον εἵλεσθε ἀναγράφειν τὰ πάτρια, ᾧ κατὰ πατέρα τῆς πόλεως οὐ προσῆκεν· καὶ ὃν ἔδει ὑπὲρ τοῦ δήμου κρίνεσθαι, οὗτος κ. τ. λ.* Pro *κατὰ πατέρα* Marklandus legere voluit *κατὰ τὰ πάτρια.* Minus recte, opinor: respicit actor Nicomachi patris servilem conditionem, vid. §. 1. Ipse autem, quamquam sero, *εἰς τοὺς φράτορας εἰσήχθη*, itaque ius civitatis erat adeptus. Neque felicius V. V. D. D. Marklandus, Reiskius et Platnerus de *Proc.* vol. I. p. 376, lectionem *ὑπὲρ τοῦ δήμου κρίνεσθαι* tentaverunt, legendumque *ὑπὸ τοῦ δήμου* suaserunt; neque Augerus et Bremius *ὑπὲρ τοῦ δ.* recte interpretati sunt *nomine populi*, i. e. tanquam reum laesae maiestatis erga populum; neque per eam formulam *γραφὴ ξενίας*, *causa capitalis de civitate* significatur; simpliciter est *pro populo reus esse.* Eadem ratione apud Dem. de F. L. pag. 340: *λόγον ὃν οὐχ ὑπὲρ Θηβαίων, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἄξιον εἰρῆσθαι*, Cf. *pro Coron.* p. 269.

§. 30. p. 866 R. *καὶ μὴ ὑπὸ τούτων ἀεὶ κακῶς πάσχοντες ἀνέχεσθε.* In libris MSS., excepto Cod. Laur. C., legitur *ὑπὸ τῶν ἀεί*, unde coniecerunt Schottus *ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἀεί*, Reisk. *ὑπὸ τῶν ἀεὶ κακίστων, κακῶς πάσχοντες.* Lectio tamen Cod. Laur. C. satis se commendat. Pluralis *τούτων* eodem modo explicandus est, quo superiori §: *τοὺς αὐτοὺς ἅπαξ πολὺν χρόνον κυρίους εἶναι*,

et §. 25: *οὗτοι δ' ἐπὶ τῇ τῶν νόμων ἀναγραφῇ κ. τ. λ.* Neque in initio sequentis §., *καὶ περὶ μὲν τούτων ἱκανά μοι τὰ εἰρημένα*, mutatio DOBREI pro *τούτων* legentis *τούτου* placet: nam, ut opinor, non de ipso reo, sed de iis, quae reo exprobravit actor, agitur: cff. Oratt. in *Philocr.* p. 831 et *de Invalido* p. 742, ubi fere eadem verba reperiuntur.

§. 32. p. 867 R. *ὑμᾶς δὲ — ζητοῦσιν, ὡς οὐ χρὴ δίκην παρ' αὐτοῦ λαμβάνειν. Ζητοῦσιν* est lectio Cod. Laur. C. pro vulgato *ζητήσουσιν*. Utram lectionem probes, sententiae quid deesse, omnibus perspicuum est. Rationem, qua BREMIUS explicat, oratoris animo inhaerere adhuc infinitivum ex antecedenti membro, propterea probari nequit, quod infinitivus praecedens *δεῖσθαι* genitivum requireret, itaque *ὑμᾶς δὲ τοσούτους ὄντας* ad illud verbum nullo modo referri possit. Neque CONTII coniecturam pro *ζητοῦσιν* sive *ζητήσουσιν* legentis *αἰτήσουσιν* — quod etiam FOERTSCHIUS in *Com. Crit.* p. 58 sq., CONTII emendationem tunc temporis ignorans (vid. eius LYSIAE edit. p. 280 in annot.) suspicatus erat — admittendam esse, recte, puto, FRANZIUS pag. 274 disputat. Magis certe placeret STEPHANI coniectura, quam FRANZIUS l. l. multis veterum et LYSIAE exemplis probare studet, et AUGERUS in textum recipere non dubitavit, legentis *πεῖσαι ζητήσουσιν*, nisi uno verbo locus hic optime sanari posset, si *ἀξιοῦσιν* legimus: tum enim sententia et verborum constructio recte procedit, confirmaturque haec emendatio §. 35: *ἡμεῖς μὲν οὖν οὐκ ἠθελήσαμεν ὑπὸ τούτων ἀξιούμενοι πεισθῆναι, τὸ δὲ αὐτὸ παρακαλοῦμεν* (quibus in verbis merito verbum *ἀξιούμενοι* a KOENIO in *Annot. ad Gregor. Corinth.* pag. 68 ed. Lugd. Bat. 1776, contra MARKLANDI emendationem *ὑπὸ τούτων αἰτούμενοι* est vindicatum. Vid. etiam LEX. SEGUER. vol. I. pag. 80 in voce). Sententiam fere eandem Orator in orat. in *Epicrat.*

UNIV. OF CALIFORNIA



p. 813 et in *Philon.* p. 889 profitetur.

Verba seqq., *χρὴ τοίνυν ὥσπερ ἄν τουτοὺς ὁρᾶτε — οὕτω καὶ ὑμᾶς κ. τ. λ.*, difficultate laborare videntur: particula *ἄν* nempe, quomodo defendi possit, non video; neque emendatio REISKII et AUGERI *νῦν* placet: particulam eiiciendam puto. Vidd. de part. *ἄν* cum praes. indicativi HERMANN. *Ann. ad* VIGER. p. 820 sq. ed. sec., MATTH. *Gram. Graec.* §. 599 p. 1413 ed. tert., BERNHARDYI *Synt. L. G.* p. 390 sqq.

§. 35. p. 866 R. *ὑμεῖς μὲν οὖν οὐκ ἠθελήσαμεν.* Sic e Cod. Laur. C. pro vulgato *τοίνυν*. Sequentia, *τοὺς τὴν ὑμετέραν νομοθεσίαν ἀφανίζοντας*, e Codd. a REISKIO collatis, ut iam antea MARKLANDUS et TAYLORUS coniecerunt, ita sunt restituta: in primis Edd. legebatur *ἡμετέραν νουθεσίαν*. Vid. LOBECK. *ad Phrynich.* p. 512.

## CORRIGENDA ET ADDENDA.

pag. 1 vs. 17. prater *lege* praeter
— 6 vs. 17. In e *lege* Inde
— 7 vs. 20. reddidisse *lege* reddidisset
— 10 vs. 7. adimnistrarentur *lege* administrarentur
— 23 vs. 24. Patroclis *lege* Patroclidis
— 26 in not. vs. 2. post testemque, adde: citantis.
— 28 vs. 3. sacras pectabant *lege* sacra spectabant
— 28 vs. 13. inter *lege* intra
— 28 vs. 21. si aliqua in re *lege* si qua in re
— 31 in not. vs. 12. ἐξαπατῶν *lege* ἐξαπατώντων
— 39 vs. 1. causam *lege* causa
— 40 vs. 5. deleatur: erat
— 44 vs. 10. elegendi *lege* eligendi
— 53 vs. 21. post verba, decernit, propterea, adde: ita eam vocatam esse lege.
— 54 vs. 6. Atheniensum *lege* Atheniensium
— 56 vs. 20. quam *lege* quem
— 61 vs. 25. docet et *lege* aut a
— 62 vs. 5. vidimus *lege* videmus
— 63 vs. 14. ζημίαν ἔκρισαν *lege* ζημίαν ἔκριναν, et post locum Lysiae pro *Milit.* p. 323 citatum adde: cff. quae de hoc loco disputavit vir Clar. Bakius in *Schol. Hyp.* vol. II. p. 240 et seqq.
— 66 vs. 9. quod *lege* qui
— 68 vs. 9. quantopere *lege* quantum.
— 68 vs. 17. ἑτέρους *lege* ἑτέροις.

Reliqua, quae forte supersunt, corriget, B. L.

UNIV. OF CALIFORNIA



# THESES.

I.

In quaestionibus de Iure Attico veteres Grammatici non nisi caute adhibendi sunt, ipse autem fons Antiquitatis cognoscendae Oratorum scripta sunt.

II.

Exigua fides habenda est Grammatico, qui opusculum composuit, cui titulus *Δικῶν ὀνόματα* (in BEKK. *Anecd.* vol. I. pag. 183 — 194).

III.

Sententia MEIERI de *Lite Att.* pag. 73, plura fuisse Athenis *δεσμωτήρια*, nullo veterum testimonio defendi potest.

IV.

Orationum, quas THUCYDIDES historiae interposuit, argumenta vera, formam modo fictam puto: itaque, quamquam de singulorum, quos induxit, Oratorum charactere, ut ita dicam, nihil ex iis statuere possumus, multum ad rerum causas effectusque cognoscendos valent.

V.

Frustra Doct. G. GEVERS (*Disp. de Lysia epitaphii auctore. Cap. alterum.* Gott. 1839) *λόγον ἐπιτάφιον τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς* LYSIAE vindicare studet.

## VI.

In Lysiae Orat. I. in *Alcib.* §. 22, pag. 534 R., recte Augerus et Foertschius pro *ὀργίζεσθαι* legerunt *χαρίζεσθαι*.

## VII.

In Lysiae Orat. pro *Caed. Eratosth.* §. 7, pag. 11 R., e verbis *οἰκονόμος δεινὴ καὶ φειδωλὸς ἀγαθὴ καὶ ἀκριβῶς πάντα διοικοῦσα*, cum Dobreo (*Advers.* tom. I. p. 193) eiiciendum puto *ἀγαθή*.

## VIII.

Plaut. *Bacch.* I. 1 vs. 75 sic legendum puto:

»Sequere hac igitur me intro lotum, ut sedes lassitudinem.”

## IX.

In Virgil. *Aen.* l. IV. vs. 537:

» Iliacas igitur classes atque ultima Teucrûm
Iussa sequar? ”

vocabulum *ultima* non, ut interpretes voluerunt, ad *iussa*, sed ad ipsam reginam referendum est.

## X.

In Horat. Sat. l. II. sat. 5 vs. 79, improbata coniectura Bentlei, legendum est (ex coniect. S. Bosii):

» Venit enim magno: donandi parca iuventus,
Nec tantum veneris quantum studiosa culinae.”

RETURN TO the circulation desk of any
University of California Library
or to the
NORTHERN REGIONAL LIBRARY FACILITY
Bldg. 400, Richmond Field Station
University of California
Richmond, CA 94804-4698

ALL BOOKS MAY BE RECALLED AFTER 7 DAYS
2-month loans may be renewed by calling
(415) 642-6753
1-year loans may be recharged by bringing books
to NRLF
Renewals and recharges may be made 4 days
prior to due date

DUE AS STAMPED BELOW

SEP 30 1991

YB 40815